

ipso aptus est ut habeat potestatem in alia ex commissione. Potuit tamen Deus aliter ordinare; sed supponimus quod sic ordinaverit, ex quo Romana Ecclesia sic facit. Quod autem dicitur, quod non sacerdos potest baptizare; et sic confert sacramentum gratiae, qui tamen non habet potestatem super corpus Christi verum; — dicitur quod hoc est ex ordinatione Christi, et non Papae. Et similiter matrimonium contrahunt, in quo datur gratia, non sacerdotes; quod non est ex commissione Papae, sed ex ordinatione Dei. Sed ex commissione Papae fieri non potest quod ille conferat sacramentum gratiae qui non est sacerdos, nec alias sine ordinatione Papae illud conferre posset; tunc enim Papa haberet potestatem excellentiae in sacramentis, si ad libitum posset ministrum instituere vel destituere. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad nonnum respondet (ibid.) quod « aliqua sunt Episcopi ut Episcopus est, quantum ad posse simpliciter et totaliter, que non possunt committi non Episcopo, sicut conferre majores ordines. Alia autem sunt Episcopi ut Episcopus est, non quantum ad posse simpliciter, sed quantum ad posse ex officio, sicut confirmare, et conferre minores ordines; et ista a solo Papa possunt committi non Episcopo, ut sicut auctoritate summi Episcopi. — Ad illud autem quod dicitur de Gregorio, non bene respondetur. Quia, Extra, *De consuetudine*, cap. 4, dicitur quod si simplex sacerdos sine commissione confirmat, non solum peccat, sed inaniter confert, et veritas sacramenti non subest; et multo magis de minoribus ordinibus. Ergo illud membrum quo dicit sacerdoti competere, sed superioribus reservatum, — non valet. — Aliud vero quod dicit Gregorium errasse, pejus est ». — Hæc Petrus.

Ad decimum respondet (ibid.) quod, « cum dicitur quod simplex sacerdos est minister minorum ordinum, — dicendum quod verum est, ex commissione juris, ut Abbates lectoratus, secundum quosdam antiquitus; vel ex commissione Papae, ut Presbyteri Cardinales; aliter non. Unde dicitur, *De ordinatis ab illo qui renuntiavit episcopatu* (cap. 1), quod *tales ordines aliquando conferuntur a non Episcopis*, quando scilicet eis committitur, et non ex officio; et, *De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum*, cap. (a) *Quoniam continet*; et (b), Dist. 69, can. *Quoniam videmus*. Sed, si diceremus subdiaconum et minores ordines ab Ecclesia institutos propria auctoritate, tunc Papa pro libito posset horum collationem committere etiam non sacerdoti, sicut consecrationes alias que non sunt sacramenta. » — Hæc Petrus, et bene. — Sic ergo patet ad argumenta Durandi.

Ad argumentum pro quaestione respondet sanctus

Thomas, in praesenti distinctione, q. 3, art. 1, q^u 2, in solutione tertii, ubi sic dicit: « Quamvis Episcopus non habeat aliquem ordinem supra sacerdotem, secundum quod ordines distinguuntur per actus relatos ad corpus Domini verum; verumtamen habet aliquem ordinem supra sacerdotem, secundum quod ordines distinguuntur per actus supra corpus mysticum. Unde Dionysius, in *Ecclesiastica Hierarchia* (cap. 5), ponit Episcopatum ordinem. Unde et cum quadam consecratione (a) dignitas episcopal (b) confertur. Et ideo, etiam in promotione membrorum corporis mystici, aliquid potest competere Episcopo, quod non competit simplici sacerdoti. » — Hæc ille.

Et hæc de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO VIII. ET IX.

QUÆSTIO I.

UTRUM FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ SIT CONVENIENS, SCILICET: HOC EST CORPUS MEUM, ET: HIC EST CALIX SANGUINIS MEI.

SIRCA octavam et nonam distinctiones 4. *Sententiarum*, queritur: Utrum forma sacramenti Eucharistiae sit conveniens, scilicet: *Hoc est corpus meum*, et, *Hic est calix sanguinis mei*.

Et arguitur quod non. Quia forma sacramenti sufficit ad perfectionem sacramenti; unde sacramentum baptismi quandoque perficitur, solis verbis formæ prolatis, et omnibus aliis pretermisis. Si ergo predicta verba sint forma sacramenti hujus, videtur quod aliquando hoc sacramentum possit perfici, his solis verbis prolatis, et omnibus aliis pretermisis, que in Missa dicuntur; quod tamen videtur esse falsum: quia, ubi alia verba prætermitterentur, predicta verba aciperentur ex parte sacerdotis proferentis, in cuius corpus et sanguinem panis et vinum non convertuntur. Non ergo predicta verba sunt forma hujus sacramenti conveniens.

In oppositum arguitur. Quia Ambrosius dicit in libris *De sacramentis* (lib. 4, cap. 4), quod *consecratio fit verbis et sermonibus Domini Jesu: nam*

(a) *et ordine praeficiendorum*, cap. — *ordinandorum* Pr.
(b) *et*. — Om. Pr.

(a) a verbo ponit usque ad consecratione, om. Pr.

(b) *episcopal*. — Om. Pr.

per reliqua omnia quae dicuntur, laus Deo deferatur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris; ubi autem sacramentum conficitur, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi conficit hoc sacramentum.

In hac quæstione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutions.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit.

Prima conclusio: Quod Eucharistia est sacramentum.

Hanc ponit et probat sanctus Thomas, 3 p., q. 73, art. 4, ubi sic dicit: « Sacraenta Ecclesie ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali. Vita autem spiritualis vite corporali conformatur, eo quod corporalia similitudinem spiritualium gerunt. Manifestum est autem quod, sicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accepit, et augmentum, quo homo producitur ad perfectionem vitae; ita requiritur alimento, per quod homo conservatur in vita. Et ideo, sicut ad vitam spirituale oportuit esse baptismum, qui est spiritualis generatio, et confirmationem, que est spirituale augmentum; ita oportuit esse sacramentum Eucharistiae, quod est spirituale alimento. » — Hæc ille.

Item, octava distinctione hujus, q. 4, art. 4, q^a 4, sic dicit: « Eucharistia sacramentum quoddam est; alio tamen modo ab omnibus aliis sacramentis. Sacramentum enim, secundum sui nominis proprietatem, sanctitatem active importat. Unde secundum hoc aliquid habet rationem sacramenti, secundum quod habet rationem sanctitatis, vel sanctificationis, qua sit aliquid sanctum. Dicitur autem aliquid sanctum duplice. Uno modo, simpliciter et per se, sicut est subjectum sanctitatis, sicut dicitur homo sanctus. Alio modo, secundario et secundum quid, ex eo quod habet ordinem ad sanctitatem hanc: vel sicut habens virtutem sanctificandi, sicut chrisma dicitur sanctum; vel quocumque alio modo ad aliquid sanctum deputetur, sicut altare sanctum. Et ideo ea quibus aliquid sit sanctum primo modo, dicuntur sacramenta simpliciter; illa autem quibus aliquid sit sanctum secundo modo, non dicuntur sacramenta, sed sacramentalia magis. In aliis ergo sacramentis sit aliquid sanctum primo modo, scilicet homo suscipiens sacramentum;

non autem elementum corporale sanctificans hominem, quia est sanctum secundo modo. Et ideo hoc quod pertinet ad sanctitatem materie in omnibus sacramentis aliis, non est sacramentum, sed sacramentale; sed hoc quod pertinet ad usum materie, qua homo sanctificatur, est sacramentum. In hoc autem sacramento, illud quod est sanctificans hominem, est sanctum primo modo, quasi subjectum sanctitatis, quod est ipse Christus. Et ideo ipsa sanctificatio materie est hoc sacramentum; sed sanctificatio hominis est effectus sacramenti. Et ideo hoc sacramentum in se consideratum, est dignius omnibus aliis sacramentis: quia habet absolutam sanctitatem, etiam prius suscipientem; omnia autem alia non habent nisi in ordine ad aliud. Et ideo hoc sacramentum est perfectio aliorum sacramentorum: quia omne quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se; sicut patet de substantia et accidente. » — Hæc ille.

Item, ibidem, arguit sic, secundo loco: « In omni sacramento novæ legis, id quod figuratur, efficitur per id quod figurat, vel per signum figurans. Sed species panis et vini, que figurant et significant corpus Christi verum et mysticum, non efficiunt illud. Ergo Eucharistia non est sacramentum novæ legis. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod sicut ad species sensibiles aliorum sacramentorum se habet virtus quæ interius inest, que sanctitatem acquirit, ex qua sacramentum efficit, secundum Hugonem (lib. 1 *de Sacr.*, part. 9, c. 2); ita in hoc sacramento se habet verum corpus Christi, quod per consecrationem sub speciebus illis fit. Unde sicut in aliis sacramentis materiale elementum non est causa virtutis quæ in ipso est, neque alicuius spiritualis effectus in homine, nisi mediante virtute, secundum quod ex elemento et virtute unum quasi efficitur; ita in hoc sacramento species non sunt causa corporis Christi, nec alicuius effectus spiritualis in anima, nisi mediante corpore Christi vero, secundum quod ex speciebus et corpore Christi fit unum sacramentum. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Omne signum sensibile sanctificativum hominis, est sacramentum novæ legis. Sed Eucharistia est hujusmodi. Igitur, etc.

Secunda conclusio est quod Eucharistia est unum sacramentum, et non plura sacramenta.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 73, art. 2, ubi sic dicit: « Sicut dicitur, 5. *Metaphysicæ* (t. c. 9, etc.), unum dicitur non solum quod est indivisible, vel quod est continuum, sed etiam quod est perfectum; sicut (x) cum dicitur una dominus, et

(x) *et.* — *Ad. Pr.*

unus homo. Est autem unum perfectione, ad cuius integratem concurrent omnia que requiruntur ad finem ejusdem; sicut homo integratur ex omnibus membris necessariis operationi anime, et dominus ex partibus quae sunt necessariae ad inhabitandum. Et sic hoc sacramentum dicitur unum. Ordinatur enim ad spiritualem refectionem, quae corporali conformatur. Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur: scilicet cibus, qui est alimentum siccum; et potus, qui est alimentum humidum. Et ideo etiam ad integratem hujus sacramenti duo requiruntur, scilicet spiritualis cibus, et spiritualis potus, secundum illud Joan. 6 (v. 56): *Caro mea vere est cibus, et sanguis mens, vere est potus.* Ergo hoc sacramentum multa quidem materialiter est, sed unum est formaliter et perfective. » — Haec ille.

Item, prima questio hujus distinctionis, art. 1, q^o. 2, sic dicit: « Per se unum simpliciter, et quod est numero unum, dicitur tripliciter. Uno modo, sicut indivisible est unum, ut punctus et unitas, quod neque est multa actu, neque potentia. Alio modo, quod est unum continuitate; quod tamen est multa potentia, sicut linea. Tertio modo, quod est unum perfectione, sicut dicitur calcamentum unum, quod habet omnes partes que requiruntur ad calcamentum; et haec unitas dicitur in omnibus illis ad quorum integratem aliqua exiguntur, sicut unus homo, una domus. Et quia ad esse sacramenti multa concurrent, sicut forma, et materia, et hujusmodi; ideo ab hac unitate dicitur sacramentum unum esse. Illa enim sunt de integritate alienius instrumenti, que requiruntur ad operationem illam ad quam instrumentum est deputatum. Hoc autem sacramentum deputatum est, ex divina institutione, ad cibationem spiritualem, que per cibationem corporalem significatur. Et quia cibatio corporalis duo requirit, scilicet aliquid per modum cibi, et aliquid per modum potus; ideo ad integratem hujus sacramenti, ex divina institutione, est aliquid per modum cibi, scilicet corpus Christi, et aliquid per modum potus, scilicet sanguis (z). » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione illa: *Forma* verborum competit sacramento, que perfecte proportionatur consecrationi sacramenti, quantum ad omnia que ad illam concurrent. Sed sic est de predictis verbis (6). Ergo predicta verba competunt sacramento per modum formæ.

Tertia conclusio est quod forma hujus sacramenti consistit in verbis predictis a principio.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art. 4; ubi sic dicit: « Hoc sacramentum differt ab aliis sacramentis in duobus. Primo, quantum ad hoc quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materie, alia vero sacramenta perficiuntur in usu mate-

riae consecratio. Secundo, quia in aliis sacramentis consecratio materie consistit solum in quadam benedictione, ex qua materia consecrata accipit instrumentum, qui est instrumentum animatum, potest ad instrumenta inanimata procedere; sed in hoc sacramento consecratio materie consistit in quadam miraculosa conversione substantie, que a solo Deo perfici potest. Unde minister, in hoc sacramento perficiendo, non habet aliun actum, nisi prolationem verborum. Et quia forma dicitur esse convenientis rei, ideo forma hujus sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus. Primo, quia forma aliorum sacramentorum important usum materie, puta baptismationem, vel confirmationem; sed forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materie, que in transmutatione consistit, puta cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, vel, *Hic est calix sanguinis mei*. Secundo, quia formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex parte ministri, sive per modum exortantis actum; sicut cum dicitur, *Ego baptizo te*, vel, *Ego confirmo te*, sive per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur, *Accipite potestatem*, etc., sive per modum deprecantis, sicut cum in sacramento extremitatis dicitur, *Per istam unctionem et nostram intercessionem*, etc.; sed (z) forma hujus sacramenti proferitur ex persona ipsius Christi loquentis, ut defetur intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione illa: *Forma* verborum competit sacramento, que perfecte proportionatur consecrationi sacramenti, quantum ad omnia que ad illam concurrent. Sed sic est de predictis verbis (6). Ergo predicta verba competunt sacramento per modum formæ.

Quarta conclusio est quod forma consecrationis panis, convenientis et completa, duntaxat et precise consistit in his verbis, *Hoc est corpus meum*.

Hanc ponit, 3 p., q. 78, art. 2, ubi sic dicit: « Haec est convenientis forma consecrationis panis. Dictum est enim (art. prec.) quod haec consecratio consistit in conversione panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare unde quod in sacramento efficitur. Unde et forma consecrationis panis debet significare istam conversionem panis in corpus Christi. In qua tria considerentur: scilicet illa conversio, et terminus a quo, et terminus ad quem. Conversio autem potest considerari dupliciter: uno modo, ut in fieri; alio modo, ut in

(z) quia. — Ad. Pr.

(6) verbis. — formis Pr.

facto esse. Non debuit autem significari conversio in hac forma ut *in fieri*, sed ut *in facto esse*. Primo quidem, quia haec conversio non est successiva, sed instantanea; in hujusmodi autem mutationibus *fieri* non est nisi *factum esse*. Secundo, quia ita se habent formas sacramentales ad significandum effectum sacramenti, sicut se habent formae artificiales ad representandum effectum artis. Forma autem artificialis, est similitudo ultimi effectus, in quem fertur intentio artificis; sicut forma artis, in mente aedificatoris, est forma aedificati principaliter, sed aedificationis per consequens. Unde et in hac forma debet exprimi conversio ut *in facto esse*, ad quod fertur intentio. Et quia conversio exprimitur in hac forma ut *in facto esse*, necesse est quod extrema conversionis significantur ut se habent *in facto esse* conversionis. (x) Tunc autem terminus ad quem habet propriam naturam suae substantiae; sed terminus a quo non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subjacet, et ad sensum terminari potest. Unde convenienter terminus a quo conversionis exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia, que manent; terminus autem ad quem exprimitur per nomen significans naturam ejus in quod sit conversio, quod quidem est totum corpus Christi, et non sola caro ejus. Unde haec est forma convenientissima, *Hoc est corpus meum.* » — Haec ille.

Item, octava distinctione Quarti, q. 2, art. 4, in solutione prime questiunculae, sic dicit: « Per formam cuiuslibet sacramenti oportet quod exprimatur hoc in quo substantia sacramenti consistit; sicut, in forma baptismi, ablutio exterior exprimitur, qua baptismi perficitur sacramentum. Tota autem perfectio hujus sacramenti in ipsa materie consecratione consistit, quae est per transsubstantiationem panis in corpus Christi. Et hanc transsubstantiationem exprimunt verba haec: *Hoc est corpus meum.* Et ideo haec verba sunt forma hujus sacramenti. » — Haec ille.

Item, ibidem, in solutione secundae questiunculae, sic dicit: « In hoc sacramento, sicut et in aliis, duo sunt: scilicet consecratio materie, et usus materie consecratae. Et haec duo per verba Domini exprimuntur. In hoc enim quod dicitur, *Accipite et manducate, ecce hoc omnes*, praecepit usus sacramenti; in hoc quod dicitur, *Hoc est corpus meum*, traditur materie consecratio. Et quia consecratio materie est ad usum fidelium, ideo usus premittitur in institutione (6) sacramenti, quamvis sequatur in executione; quia finis est prior in intentione et cognitione, et ultimus in executione vel operatione. Sed quia usus materie in hoc sacramento non est de essentia sacramenti, sicut in aliis; ideo illa verba

que ad usum pertinent, non sunt de forma, sed tantum illa que ad consecrationem materie pertinent, scilicet: *Hoc est corpus meum.* » — Haec ille.

Ex quibus potest formari talis ratio: Illa est completa et praecisa forma consecrationis panis in sacramento Eucharistiae, que, ex institutione Christi, perfecte exprimit illud quod in sacramento et consecratione panis efficitur. Sed predicta forma est hujusmodi. Ergo, etc.

Quinta conclusio: Quod predicta locutione quam profert sacerdos in consecratione panis, scilicet *Hoc est corpus meum*, vera est.

Hanc probat sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art. 5, ubi sic dicit: « Circa hoc fuit multiplex opinio. Quidam enim dixerunt quod in hac locutione, *Hoc est corpus meum*, haec dictio *hoc* importat demonstrationem ut conceptum, non ut exercitatum, quia tota ista locutione sumitur materialiter, cum recitative proferatur; recitat enim sacerdos Christum dixisse: *Hoc est corpus meum*. Sed hoc stare non potest. Quia, secundum hoc, verba non applicarentur ad materiam corporalem presentem; et ita non perficeretur sacramentum. Dicit enim Augustinus, super Joan. (tract. 80): *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.* Et ex hoc totaliter non evitatur hujus difficultas questionis (x): quia eadem rationes manent circa primam prolationem, qua Christus protulit haec verba; in qua manifestum est quod non materialiter, sed significative sumebantur. Et ideo dicendum est quod, etiam quando prosequuntur a sacerdote, significative, et non tantum materialiter accipiuntur. Nee obstat quod sacerdos etiam ea recitative profert, quasi a Christo dicta: quia, propter infinitam virtutem Christi, sicut ex contactu carnis sua mundissimae vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas que Christum tenuerunt, sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura saecula, ita etiam ex prolatione ipsius Christi haec verba virtutem consecravit sunt consecuta, a quocumque sacerdote dicantur; ac si Christus ea presentialiter et personaliter proferret. Et ideo alii dixerunt quod haec dictio *hoc* in hac locutione facit demonstrationem non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus: *Hoc est corpus meum* id est, *significatum per hoc est corpus meum*. Sed nec hoc stare potest: quia, cum in sacramentis hoc significatum quod significatur, non fieret per hanc formam ut corpus Christi sit in hoc sacramento secundum veritatem, sed solum sicut in signo; quod est haereticum. Et ideo alii dixerunt quod haec dictio *hoc* facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur haec demonstratio non pro illo

(x) *Etsi* — *Ad. Pr.*

(6) *institutione* — *demonstratione Pr.*

(x) *questionis* — *conclusionis Pr.*

instanti locutionis quo profertur haec dictio, sed pro ultimo instanti locutionis: sicut, cum (2) aliquis dicit, *Nunc taceo*, hoc adverbium *nunc* facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti locutionem; est enim sensus: *Statim dictis his verbis, taceo*. Sed nec hoc stare potest. Quia, secundum hoc, hujus locutionis sensus est: *Corpus meum est corpus meum*; quod predicta locutio non facit, quia hoc fuit etiam ante prolationem verborum. Et ideo aliter dicendum est, quod haec locutio habet virtutem factivam conversionis panis in corpus Christi. Et ideo comparatur ad alias locutiones, quae solum habent vim significativam, et non factivam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quae est factiva rei, conceptioni intellectus nostri speculativi, quae est accepta a rebus; nam voces sunt signa intellectuum, secundum Philosophum (4. *Perihemenias*, cap. 4). Et ideo, sicut conceptio practici intellectus non presupponit rem conceptam, sed facit eam; ita veritas hujus locutionis non presupponit rem significatam, sed facit eam. Sic enim se habet verbum Dei ad res factas per verbum. Hac autem conversio non fit successive, sed in instanti. Et ideo oportet quidem intelligere praedictam locutionem secundum ultimum instans prolationis verborum: non tamen ita quod presupponatur ex parte subjecti id (6) quod est terminus conversionis, scilicet quod corpus Christi sit corpus Christi; neque etiam id quod fuit ante conversionem, scilicet panis; sed id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scilicet contentum in generali sub istis speciebus. Non enim faciunt haec verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Et ideo signanter non dicit Dominus, *Hic panis est corpus meum*, quod esset secundum intellectum secundae opinionis; neque, *Hoc corpus meum est corpus meum*, quod esset secundum intellectum tertie; sed in generali, *Hoc est corpus meum*, nullo nomine apposito a parte subjecti, sed solo pronomine, quod significat in communi substantiam, sine qualitate, id est, sine forma determinata. » — Haec ille.

Similia dicit, secunda questione hujus distinctionis, art. 1, q^{ta} 4, in solutione primi.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Locutio vel oratio practice factiva alienus effectus vel operationis, exprimens illud quod efficit sufficienter et praeceps, eo modo quo efficit, vera est. Sed hujus forma consecrationis est hujusmodi. Igitur, etc.

Sexta conclusio est quod sola convenientis et completa forma consecrationis sanguinis Christi

est huc: *Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Hanc probat sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art. 3, ubi sic dicit: « Cirea hanc formam est duplex opinio. Quidam enim dixerunt quod de substantia formae hujus est hoc solum quod dicitur, *Hic est calix sanguinis mei*, non autem ea quae sequuntur. Sed hoc videtur inconveniens: quia ea quae sequuntur, sunt determinationes praedicti, id est sanguinis Christi; unde pertinent ad integratem locutionis. Et, propter hoc, sunt alii qui melius dicunt, quod omnia sequentia sunt de substantia formae, usque ad hoc quod sequitur postea, scilicet *Haec quotiescumque feceritis*; que pertinent ad usum sacramenti hujus; unde non sunt de substantia formae. Et inde est quod sacerdos eodem ritu et modo, scilicet tenendo (2) calicem in manibus, omnia haec verba profert. Iudee etiam 22, interponuntur verba sequentia verbis primissis (6), cum dicitur (v. 20): *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo*. Dicendum est ergo quod omnia praedicta verba sunt de substantia formae. Sed per prima verba, *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis. Per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quae operatur in hoc sacramento. Quae quidem ad tria ordinatur (7). Primo quidem, et principaliter, ad adipiscendam aeternam hereditatem, secundum illud *Hebraeor. 10* (v. 19), *Habentes fiduciam in intuitu sanctorum per sanguinem ejus*; et ad hoc designandum, dicitur, *Novi et aeterni testamenti*. Secundo, ad justitiam gratiae, que est per fidem, secundum illud *Romanor. 3* (v. 25 et 26), *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ejus, ut sit ipse justus et justificans eum qui ex fide est Jesu Christi*; et, quantum ad hoc, subditur, *Mysterium fidei*. Tertio, ad removendum impedimenta utriusque praedictorum, scilicet peccata, secundum illud *Hebraeor. 9* (v. 14), *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, id est, peccatis; et, quantum ad hoc, subditur, *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. » — Haec ille.

Similia dicit, octava distinctione hujus, q^{ta} 2, art. 2, in solutione primæ questiunculae:

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: In illis verbis praeceps et adequate consistit forma convenientis et completa consecrationis sanguinis Christi.

(2) *cum.* — Om. Pr.

(6) *primissis.* — primis Pr.

(7) *ordinatur.* — ordinantur Pr.

guinis, quae continent omnia et singula pertinentia ad integratatem locutionis consecratiæ, quam Christus consecrando protulit, et que congruent modo et ritui sacerdotis consecrantis secundum usum apostolicum et romanum. Sed predicta verba sunt hujusmodi. Ergo.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Argumenta Aureoli. — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclusiones. Et quidem, contra primam conclusionem arguit Aureolus (dist. 8, q. 1, art. 1), probando

Primo; quod in probatione conclusionis inconvenienter dictum sit quod corpus Christi cum speciebus concurrat per modum unius virtutis. Et arguit sic: Quia illud quod est res sacramenti, non est sacramentum; saltem non est virtus sacramenti: quia, secundum te, virtus que cum elemento est sacramentum, non est res sacramenti; unde, in baptismo, character et gratia non sunt virtus sacramenti, eo quod sunt res ipsæ sacramenti. Sed corpus Christi est vere res significata per sacramentum Eucharistiae: sic enim diffinit cap. *Quoniam Marthæ*, *De celebratione Missarum*, etc., et *de consecr.* Dist. II, can. *In Christo Pater* (2), quod res hujus sacramenti est duplex, scilicet corpus Christi, et charitas in mente fidelium; similiter Magister idem dicit in praesenti distinctione. Ergo intra sacramentum Eucharistiae non ingreditur corpus Christi, sed tantummodo species et verba.

Secundo arguit contra aliud dictum, probando quod species non sint materia hujus sacramenti. Quia illud non est materia hujus sacramenti, in quo recipitur primus effectus sacramenti: non enim res sacramenti recipitur in materia sacramenti; sicut character baptismi non recipitur in aqua, sed in anima. Sed in speciebus panis recipitur prima res hujus sacramenti, puta corpus Christi. Ergo, etc.

Confirmatur. Quia, secundum te, materia sacramenti est illud quod recipit virtutem infusam, quam ponis agere instrumentaliter, saltem ad primam rem hujus sacramenti. Hic autem nulla est talis virtus: nam corpus Christi non est hoc modo virtus, nec pars virtutis, ut probatum est, cum sit res sacramenti.

Confirmatur. Quia diaconus non potest dici materia ordinis. Et ratio est: quia recipit primum effec-

tum ordinis. Ergo, cum species hoc modo primum effectum sacramenti hujus recipient (sunt enim tegumentum sub quo virtus divina operatur salutem, secundum Ambrosium (*de Sacr.*, l. 4, e. 4)); quare non sunt propriæ materia hujus sacramenti.

Tertio arguit quod usus hujus sacramenti est pars essentialis hujus sacramenti. Quia illud quod facit aliquid circa sacramentum quod figurat, vere pertinet essentialiter ad illud sacramentum; de ratione enim sacramenti est quod efficit quod figurat. Sed sic est de comedione: quia, licet sacramentum habeat primum effectum, et rem sacramenti, puta corpus Christi, non tamen habet secundum effectum, qui est unitas et charitas fidelium; immo, absque sumptione sacramenti non habent species quod significant talēm unionem fidelium, et Ecclesie cum Christo. Ergo, etc.

Confirmatur. Quia illud quod non tantum ex devotione, sed ex opere operato, significat et efficit id quod significat, est vere sacramentum: patet per definitionem sacramenti, quam ponit Magister (dist. 1). Sed acceptio et sumptio corporis Christi est hujusmodi. Non enim efficit quod significat, ex devotione sumentis, sed ex opere operato: pone enim duos habentes aqualem actum devotionis, et unus celebret missam, et alius audiat; in istis est inaequitas fructus sacramenti, stante aequalitate devotionis. — Haec ille.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumentum Aureoli. — Contra secundam conclusionem arguit Aureolus (dist. 8, q. 1, art. 2), probando quod istud sacramentum non sit dicendum unum unitate integratis precise. Quia ubi est sola unitas integratis, non est verum dicere quod accipiens unam partem, accipiat totum; sicut non potest dici quod habens manum, habeat totum corpus. Sed recipiens corpus Domini, recipit vere totum sacramentum. Unde recipiens baptismum et confirmationem et solum corpus Domini cum aliis sacramentis, vere dicitur quod recipit omnia sacramenta. Et ista ratio aequa probat quod istud sacramentum non solum dicitur unum unitate refectionis. — Haec ille, in forma.

§ 3. — CONTRA TERTIAM ET QUARTAM CONCLUSIONES

Argumenta Scoti. — Contra tertiam et quartam conclusiones arguit Scotus (dist. 8, q. 2), probando quod non solum illa verba, *Hoc est corpus meum*, sint præcisa forma consecrationis corporis Christi.

Primo. Quia verba sacramentalia ex vi verborum debent significare illud quod efficitur ex vi sacramenti. Sed, ex vi hujus consecrationis, efficitur

(a) *Pater.* — Om. Pr.

quod ibi sit verum corpus Christi. Ergo verba sufficienter, ex vi propriis, debent significare proprie ibi contineri corpus Christi. Sed haec verba, *Hoc est corpus meum*, prolata sine precedentibus, hoc (α) non significant absolute : quia ly *meum* significatur referri ad personam loquentis; quia, licet minister possit intendere ut loquatur in persona Christi, non tamen propter hoc significatum illorum esset; quia ly *meum* non demonstraret corpus Christi, sed corpus loquentis. Sicut, si inciperem sic loqui, *Mea doctrina non est mea*, licet intenderem loqui in persona Christi, tamen ex vi verborum non habetur quod ista doctrina sit Christi, sed illius qui loquitur : sicut angelus, quando loquebatur in persona Dei (*Exodi* 3, v. 6), *Ego sum Deus Abraham*; et per consequens non esset propositio falsa, pro sensu pro quo fieret; tamen non erat proprie significatum hujus propositionis, quod ly *ego* supponeret pro persona Dei.

Secundo arguit. Quia dicit Ambrosius (*de Sacramentis*, lib. 4, cap. 4 et 5), et habetur (6), *de consecr.*, Dist. II (can. 53): *Panis est in altari. Sermo Christi creaturam mutat. Consecratio, quibus verbis fiat, attendite : Accipite et edite ex hoc omnes, hoc est corpus meum.* Ubi videtur conjungere illa verba, scilicet *accipite*, tanquam verba consecrationis. Sed non est intelligendum tanquam sint essentialiter pertinentia ad necessitatem consecrationis, sed tanquam necessario premittenda. Et non solum illa, sed plura alia precedentia in canone, ex quibus possit ex vi sermonis haberi quod ista verba, *Hoc est corpus meum*, dicantur in persona Christi. Unde non sine causa Ecclesia ita connectit totum canonem Missae, quod ab illo loco, *Communicantes*, usque ad illum locum, *Suplices te rogamus Omnipotens Deus*, non est aliqua oratio quae non necessario connectatur cum praecedente : vel per copulam, vel per conjunctionem copulativam, sicut, *Hanc ergo oblationem*, et hujusmodi; vel per pronomen (γ) infinitum, ut, *Quam oblationem*, etc., et, *Qui pridie quam*, etc., et, post consecrationem, *Supra que propitio*, etc.; vel per relationem, ut ibi, *Simili modo*, etc. — Hac Scotus, in forma.

§ 4. — CONTRA QUINTAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scoti. — Contra quintam conclusionem arguit Scotus (dist. 8, q. 2), probando quod in hac oratione, *Hoc est corpus meum*, ly *hoc* demonstraret aliquid determinatum, scilicet, vel in tempore presenti, vel in futuro; et non aliquid commune utriusque.

(α) *hoc*. — *hic* Pr.

(6) *et habetur*. — Om. Pr.

(γ) *pronomen*. — *nomen* Pr.

Primo. Quidam licet non oporteret quod hoc pronomen *hoc* demonstraret aliquid pro determinato tempore, cui conveniret, tamen, sicut tu arguis, significatio orationis constituitur ex significato partium, et partes significant quando proferuntur. Ideo, secundum te, etiam necesse est dicere quod ly *hoc*, quando profertur, illud significat etiam quod tunc demonstrat. Tunc autem non videtur posse demonstrare aliquid quod non est nunc contentum sub illis speciebus. Quia sic posset disi, *Hic ignis est aqua*, vel, *Hoc corpus est aqua*, loquendo de igne statim convertendo in aquam, et faciendo talem demonstrationem ad sensum in obliquo, ad intellectum in recto, et *hoc* demonstrando (α) corpus quod nunc est, vel in proximo erit. Sed non videtur rationabile dicere de aere statim corrumpendo, quod hoc corpus est ignis : haec enim est simpliciter vera, *Hoc corpus est aer*; et de eodem non dicitur simul ignis et aer. Igitur.

Secondo. Quia, si tunc significant partes orationis quando proferuntur, et ex significatis earum hoc modo acceptis est significatum totius orationis secundum quod accipitur, oportet dicere quod ly *est*, quando profertur, ponat significatum suum pro presenti quod significat. Subjectum autem pro alia parte disjunctionis non accipitur pro aliquo eodem tempore cum illo quod importatur per copulativam. Ergo significatio totius illius orationis non refertur ad aliquod idem tempus, vel instans.

Tertio. Quia disjunctiva non ponit alteram determinate; sed est fallacia consequentis. Ergo, si stat disjunctive, non determinate ponit respectu predicationi unam, scilicet hoc quod in proximo erit sub istis speciebus, sicut nec alteram, scilicet quod nunc est sub istis speciebus; et sic non efficitur per istam orationem, secundum te, nisi ut ipsa est vera. Ergo per istam non efficitur magis illud quod erit, quam illud quod est nunc sub istis.

II. Argumenta Aureoli. — Contra eamdem arguit Aureolus (dist. 8, q. 2, art. 2), probando quod hoc pronomen *hoc* non demonstraret aliquid partiale, immo aliquid totale : ita quod demonstrat non solum substantiam, sed quantitatem et accidentia cum totali ratione quantitatis.

Primo sic : Illud demonstratur per hoc pronomen *hoc*, quod respondet ad questionem factam per *quid est hoc*. Ista probatur : Quia de significato interrogativorum non habemus certitudinem, nisi per significatum responsorum. Sed querendo *quid est hoc*, non respondetur aliquid partiale, sed totum : possum enim querere *quid est hoc*, vel *quale est hoc*, vel *quantum est hoc*; sed cum queratur *quid est hoc*, respondetur tam substantia quam quantitas et quam qualitas. Ergo, absolute

(α) *demonstrando*. — *distinguendo* Pr.

loquendo, ly *hoc* claudit omnia sub se, et econtra.
— Confirmatur per Aristotelem et Commentatorem,
7. *Metaphysicæ* (t. c. 2), qui per hoc probant quod
substantia est prior, quia per prius respondetur ad
questionem factam per ly *hoc*.

Secundo arguit contra conclusionem in hoc quod
ponit corpus Christi esse sub speciebus per modum
contenti. Quia, ut dicit, hoc falsum est. Item, quia
ly *hoc* non habet per se demonstrare aliquid con-
tentum, sed aliquid per se determinatum ad situm.
— Haec Aureolus, in forma.

§ 5. — CONTRA SEXTAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Durandi. — Contra sextam
conclusionem arguit Durandus (dist. 8, q. 2), pro-
bando quod in istis verbis, *Hic est calix sanguinis*
mei, confineatur tota forma consecrationis: ita quod,
eis dictis, et non aliis sequentibus, vere esset san-
guis Christi sub speciebus vini. Et arguit sic:

Primo (z). Quia in illis verbis praeceps continetur
forma consecrationis sacramenti, que sunt signifi-
cativa et expressiva totalis effectus contenti in sacra-
mento. Sed hujusmodi sunt haec verba, *Hoc est*
corpus meum, respectu consecrationis panis, et,
Hic est calix sanguinis mei, respectu consecra-
tionis vini. Ergo in his verbis consistit praeceps forma
sacramenti. Major patet: quia hoc sacramentum
consistit in consecratione materiae. Et minor simili-
liter: quia quidquid est in consecratione, totum
sufficienter exprimitur per illa verba.

Confirmatur. Quia, secundum omnes doctores,
sacramenta novæ legis efficiunt quod significant.
Sed predicta verba, *Hoc est corpus meum*, et, *Hic*
est calix sanguinis mei, cum dicantur recitative,
ut prolata per Christum, significant corpus et san-
guinem Christi esse sub speciebus panis et vini.
Ergo illa sola verba sufficiunt, quantum est de
necessitate sacramenti.

Ad haec duo, inquit, respondent quidam per
interemptionem majoris utriusque rationis. Quia,
si aliquis dicat, *Ego baptizo te*, et nihil plus, non
est puer baptizatus, nisi addatur, *In nomine*
Patris, etc.; et tamen totus effectus baptismi signi-
ficatur in primis verbis, sine secundis. Et similiter,
in proposito, quamvis per illa verba significetur
quidquid continetur in sacramento Eucharisticæ,
non tamen oportet quod alia non sint de necessitate
sacramenti, vel forme sacramenti. — Sed haec
responsio parum valet. Quia, cum effectus sacra-
menti sit a Deo; et non a sacramentis, nisi sicut a
signo, vel sicut a causa *sine qua non*, ideo forme
verborum debent significare effectum sacramenti
esse a Deo; quod fit per invocationem Trinitatis,
vel divini nominis, in omnibus sacramentis. Que-

consistunt in applicatione ad suscipientem, ut sunt
omnia (z) sacramenta, praeter Eucharistiam, in
qua (6) significatur corpus et sanguis Christi esse
sub speciebus sacramenti virtute divina, per hoc
quod verba consecrationis recitantur ut prolatæ a
Christo. Cum ergo dicatur communiter ab omnibus
doctribus, quod sacramenta efficiunt id quod signi-
fiant, et forme sacramentorum sunt illæ que
significant effectum sacramenti, subintelligitur
quando significant illum effectum esse a Deo, modo
quo dictum est.

Secundo arguit sic: Forma consecrationis cor-
poris consistit essentialiter in his verbis præcise,
Hoc est corpus meum; nec de essentia hujus
formæ est ly enim ibi interpositum, eum dicitur,
Hoc est enim corpus meum; et hoc tenent omnes
doctores. Ergo similiter forma consecrationis san-
guinis consistit essentialiter in his verbis, *Hic est*
calix sanguinis mei; nec de essentia formæ hujus (y)
est aliquid ei appositorum. Consequentia patet: quia
non minoris efficacie sunt haec verba, *Hic est calix*
sanguinis mei, ad transsubstantiandum vinum in
sanguinem Christi, quam sint haec verba, *Hoc est*
corpus meum, ad transsubstantiandum panem in
corpus Christi; ergo, etc.

Tertio arguit. Quia Graeci conficiunt vere sacra-
mentum Eucharistie, sicut et Latini; nec unquam
inventum est quod Ecclesia Romana senserit Grae-
cos non vere confidere. Sed Graeci in consecratione
sanguinis non ponunt omnia verba que ponit
Romana Ecclesia, maxime ab illo verbo, *Nori et*
aeterni testamenti, usque ad finem. Ergo illa verba
non sunt de essentia formæ; quia omissione illorum
evacuaret consecrationem. Quare, etc. Minor patet.
Quia forma consecrationis corporis, secundum Grae-
cos, prout continetur in Missali B. Basilli, quam
angelo dictante accepit, ut dicitur, et prout in
canone predictæ Missæ de verbo ad verbum habe-
tur, sicut nos fecimus coram nobis legi et extraibi,
est ista: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum,*
quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Verba autem consecrationis sanguinis, prout
in eodem canone continetur, sunt ista: *Bibite ex eo*
omnes, hic est sanguis meus nori testamenti, qui
pro vobis et pro multis effundetur in remissionem
peccatorum. Ex quibus appetet quod forma Grae-
corum, in consecratione corporis Christi, non habet
enim sicut nos habemus; habet tamen *quod pro*
vobis tradetur in remissionem peccatorum, quod
nos non habemus. In consecratione vero sanguinis,
forma Graecorum non habet *aeterni*, nec *mysterium*
fidei, nec *calice*; que tamen omnia nos habemus.
Unde non videtur, cum ipsi vere consecrerent, sicut

(z) *omnia*. — *divina* Pr.

(6) *qua*. — *quo* Pr.

(y) *hujus*. — Om. Pr.

et nos, quod omnia que nos habemus, et omnia que ipsi habent, sint de essentia forme, alioquin nec ipsi nec nos vere consecramus.

Quid autem veritatis habeat utraque opinio? Advertendum est quod quidquid ponitur in forma verborum qua utitur Romana Ecclesia, sive antecedenter, sive (z) consequenter, totum continet veritatem, quamvis non totum sit de intraneitate forme. Quod enim premittitur quod Jesus *elevatis oculis in cælum, gratias agens*, benedixit, etc., quamvis non habeatur in textu Evangelico pro tempore quo Christus hoc sacramentum instituit, tamen ex aliis locis Evangelii potest hoc comprobari. Si enim in resurrectione Lazari, Jesus, elevatis oculis sursum, gratias egit Patri, probabilius est quod simile fecerit et dixerit quando panem et vinum in suum corpus et sanguinem transsubstantiavit. Hec tamen non sunt de substantia forme, sed quedam antecedentia. Quod autem additur, *aeterni*, et, *mysterium fidei*, utique verum est. Quia novum testamentum quod Christi sanguine confirmatum est, aeterna promittit, sicut vetus testamentum promittebat temporalia. Dicitur etiam *mysterium fidei*, quia aliud exterius visibiliter cernitur, et aliud invisibiliter continetur. Et sic exponitur, Extra, *De celebratione Missarum*, etc., cap. *Quum Marthæ*. Ista tamen non sunt de essentia forme, sicut nec antecedentia; sed ponuntur ad excitationem devotionis, et ad exprimendum fructum dominicae passionis. Quis enim dicit quod illud verbum, *mysterium fidei*, sit de essentia forme consecrationis sanguinis, cum aequaliter conveniat consecrationi panis sicut consecrationi vini? utrobius enim aliud visibiliter cernitur, et aliud invisibiliter continetur. Item, si illud quod additur, *novi et aeterni testamenti*, usque in finem, esset de substantia forme consecrationis vini, fortiori ratione, de substantia forme consecrationis panis esset non solum *Hoc est corpus meum*, sed etiam *Quod pro vobis tradetur*. Hanc enim determinationem expressius ponunt Evangelistæ quam aliam. Constat autem quod nullus dicit quod de substantia forme consecrationis sit illa determinatio, *Quod pro vobis tradetur*. Quare, ut videtur, de substantia forme consecrationis vini non est illa alia determinatio, *Novi et aeterni testamenti*, etc. Est tamen de necessitate preecepti Ecclesie; et ideo totum sub eodem ritu profertur.

Quarto (6) arguit. Quia verba pertinentia ad usum hujus sacramenti, magis pertinent ad integratem forme, quam verba pertinentia ad ejus effectum; quia inter hoc sacramentum, quod consistit in consecratione materiae, et ejus effectum, usus est medium.

(a) *sive*. — *sicut* Pr.

(b) Hoc argumentum et duo sequentia non inveniuntur in textu Durandi. Auctor ea refert prout citantur a Petro de Palude, dist. 8, q. 3.

Sed verba pertinentia ad usum, non sunt de integritate forme, ut illud, *Accipite et manducate*, vel illud, *Accipite et bibite*. Ergo multo minus verba pertinentia ad ejus effectum. Talia autem sunt illa que adduntur, ut, *Novi testamenti*, usque in remissionem peccatorum. Ergo non sunt de essentia forme.

Quinto arguit contra probationem conclusionis, quod non valeat. Quia, cum dicatur quod de integritate orationis est totum illud, inclusive usque in remissionem peccatorum, cum sit determinatio predicati; ergo est de integritate consecrationis, ac per hoc de essentia forme; — hoc siquidem non valet: quia etiam determinatio predicati est hoc, *Quod pro vobis tradetur*; et tamen non est de essentia forme consecrationis panis.

Sexto ad idem. Quia, cum arguitur quod sub eodem ritu profertur a principio usque ad finem, dicendo, *Hic est calix sanguinis*, etc., usque in remissionem peccatorum; quod non fieret nisi totum pertineret ad formam consecrationis; — hoc siquidem non valet: quia non quaecumque profertur eodem ritu, sunt de essentia; sicut *Accipit*, et hujusmodi, quae non sunt de essentia.

II. Argumenta Aureoli. — Arguit ad idem Aureolus (dist. 8, q. 2, art. 4).

Primo. Quia, sicut hoc quod dicitur, *Novi et aeterni testamenti*, est determinatio forme qua sanguis conficitur; sic hoc, *Quod pro vobis tradetur*, est determinatio forme qua corpus conficitur. Quod potest expresse probari per illud Pauli, 1. Corinthior. 11 (v. 24 et 25), et per Evangelia. Sed Ecclesia a forma qua conficitur corpus, abstulit hoc quod dicitur (z), *Quod pro vobis tradetur*; ac per consequens (6) non est de essentia forme. Ergo (7) similiter est dicendum de hoc quod dicitur, *Novi et aeterni testamenti*, respectu forme qua conficitur sanguis. Ergo, etc.

Secundo. Quia Ecclesia tenet quod Graeci vere conficiunt; qui tamen utuntur precise forma quam tradit Paulus, *Hic calix novum testamentum (8) est in meo sanguine*.

III. Argumenta aliquorum. — Arguitur etiam ab aliquibus, probando quod verba non sint de essentia hujus sacramenti, sic: Quia nihil transiens est de essentia aliquius permanentis. Sed sacramentum Eucharistiae est quid permanentes (permanet enim quamdiu remanent species); verba autem consecrationis transiunt in ultimo instanti prolationis verborum. Ergo, etc.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

(z) *dicitur*. — *dico* Pr.

(6) *consequens*. — *hoc* Pr.

(7) *Ergo*. — Om. Pr.

(8) *novum testamentum*. — *novi testamenti* Pr.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ I. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Aureoli. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum Aureoli contra primam conclusionem, dicitur primo, quod positio sancti Thomae non habet quod verum corpus Christi sit virtus sacramenti Eucharistiae formaliter et per essentiam, sed quod est subjectum talis virtutis partialiter. Et similiter, species sunt subjectum illius virtutis partialiter. Aggregatum autem ex utroque sunt completum, integrum, aequaliter subjectum ejus. — Dicitur secundo, quod non est inconveniens, aliquid idem esse rem proximam sacramenti Eucharistiae, et tamen intrinsecè pertinere ad sacramentum Eucharistie. Est autem inconveniens, idem esse rem ultimam sacramenti, scilicet effectum sacramenti, et simul pertinere intrinsecè ad essentiam sacramenti; sicut arguitur de effectu baptismi, qui est character et gratia; illa enim sunt subjective in suscipiente sacramentum, et non in sacramento. Seens autem est de corpore Christi, quod est sub speciebus sacramentalibus. De predictis beatus Thomas, 3 p., q. 73, art. 1, in solutione tertii, sic dicit: « Sacramentum dicitur ex (x) eo quod continet aliquid sacrum. Potest autem aliquid esse sacrum dupliciter: scilicet absolute, et in ordine ad aliud. Haec autem differentia est inter Eucharistiam et alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute, scilicet ipsum Christum; aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet virtutem ad sanctificandum. Et eadem ratio est de chrismate, et similibus. Et ideo sacramentum Eucharistiae perficitur in ipsa consecratione materie; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materie ad hominem sanctificandum. Et ex hoc etiam sequitur alia differentia: nam, in sacramento Eucharistiae, id quod est res et sacramentum, est in ipsa materia; id autem quod est res tantum, est in ipso suscipiente, scilicet gratia quae confertur; in baptismo autem utrumque est in suscipiente, scilicet et character, qui est res et sacramentum, et gratia remissionis peccatorum, que est res tantum. Et eadem ratio est de aliis sacramentis. » — Haec ille. — Item, prima quæstione hujus distinctionis, art. 1, q^a 4, quinto loco, arguit sic: « In omni sacramento, id quod est res et sacramentum, est aliquid effectivum in suscipiente, sicut character in baptismo. Sed corpus

Christi verum, quod ponitur hic res et sacramentum, non est aliquid in suscipiente effectivum. Ergo non est sacramentum ejusdem rationis cum aliis. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod ex hoc ipso quod alia sacramenta perficiuntur in acceptione vel collatione, contingit quod illud quod in eis est sacramentum et res, est aliquid acquisitum in suscipiente. In hoc autem sacramento est aliter. » — Haec ille. — Dicitur tertio, quod in Eucharistia sacramentum potest sumi tripliciter: primo modo, pro signo sensibili, quod est signum et sacramentum, et non res; secundo modo, pro illo quod est res et sacramentum; tertio modo, pro aggregato ex utrisque. Modo corpus Christi non est pars sacramenti Eucharistiae primo modo dicti; nec pertinet intrinsecè ad illud, sed solum continetur sub illo. Sumendo autem sacramentum Eucharistiae secundo modo, constat quod corpus Christi est essentialiter illud sacramentum primo et adequate. Sed, sumendo sacramentum tertio modo, conceditur quod corpus Christi verum pertinet ad sacramentum Eucharistiae intrinsecè partialiter.

Ad secundum dicitur primo, quod ex verbis sancti Thomae non potest haberi quod species sint materia proprie loquendo hujus sacramenti Eucharistiae, sed potius panis et vimum. Quod latet. Nam, 3 p., q. 74, art. 1, determinat quod materia sacramenti Eucharistiae sunt panis et vimum, quadruplici ratione: scilicet ratione usus sacramenti, et ratione passionis Christi, et ratione effectus sacramenti considerati in ipso suscipiente, et ratione effectus sacramenti respectu totius Ecclesie. Et similiter dicit, undecima distinctione hujus Quarti, q. 2, art. 1, q^a 2. — Dicitur secundo, quod, accipiendo extenso nomine materiam sacramenti pro qualibet signo sensibili habente conditiones materiales, puta extensionem, situm, et hujusmodi, sic posset concedi quod species panis et vini sunt materia hujus sacramenti, eo modo quo dicit Hugo (*de Sacramentis*, lib. 1, part. 9, cap. 2), quod sacramentum est materiale elementum, exterius oculis suppositum, etc. De hoc sanctus Thomas, octava distinctione hujus, q. 1, art. 1, q^a 1, arguit sic, tertio loco: « Sacramentum est materiale elementum, exterius oculis suppositum, secundum Hugonem. Sed corpus Christi verum, quod hic dicitur sacramentum et res, non est oculis videntium suppositum. Ergo non est sacramentum. » — Haec ille. — Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod omne sacramentum est visibile. Non tamen oportet quod quidquid est in sacramento, sit visibile. Videatur enim species sensibilis aquae in baptismo; sed non videtur virtus spiritualis, quae secretius operatur salutem. Et similiter hic videntur species, sed non videtur verum corpus Christi. Vel dicendum quod est visibile, non in se, sed in speciebus quae

(x) ex. — Om. Pr.

ipsum tegunt; sicut et substantia aliorum corporum videtur mediante colore. » — Haec ille. — In quibus apparet quod non negat, immo concedit, quod species sunt materiale elementum visibile in hoc saeramento, et sic quodammodo materia. Item, prima distinctione hujus, q. 1, art. 1, q^ub^{is} 5, arguit sie, primo loco: « Materia non predicatur de toto. Sed materiale elementum est materia sacramenti. Ergo male ponitur in diffinitione sacramenti ut genus. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod sicut formae artificiales (x) sunt accidentales, tamen (6) in artificialibus tota substantia est materia, et propter hoc predicatur, ut dicatur, *Phiala est aurum*; ita etiam, cum forma sacramenti non sit esse substantiale, sed accidentale, in genere cause et signi, non est inconveniens ut materia sacramenti de sacramento predicetur, et ponatur in ejus diffinitione sicut genus; hoc enim in aliis actibus contingit, ut dicitur, 7. *Metaphysica* (t. e. 17), ut cum dicitur, *Simum est nasus curvus.* » — Haec ille. — Ex quibus patet quod signum sensibile potest dici materia sacramenti, non quidem materia *ex qua*, sed *in qua*, vel *circa quam*. Tunc, ad formam argumenti contra predicta, dicitur quod major est falsa, loquendo de sacramento quod consistit in consecratione materie. Ibi enim oportet quod prima res sacramenti recipiatur in materia sacramenti, vel saltem in speciebus materialibus sacramenti, sicut est in proposito. Secus est de aliis sacramentis, quae non consistunt in consecratione materie, sed in usu et applicatione materie ad suscipientem; sicut est in baptismo, de quo procedit argumentum. Unde similitudo de baptismo et Eucharistia nulla est.

Ad primam confirmationem, dicitur primo, quod virtus instrumentalis quam ponimus in sacramentis, non solum est subjective in materia sacramenti, immo in verbis, et quandoque in prima re sacramenti, et quandoque in ministro, sicut alias (7) diffuse dictum est. — Dicitur secundo, quod virtus instrumentalis agens ad primum rem hujus sacramenti, non est subjective in materia, qualitercumque sumatur materia; neque est in prima re sacramenti; sed est partim in forma verborum, et partim in ministro. — Dicitur tertio, quod virtus instrumentalis agens ad inductionem secundae rei hujus sacramenti, scilicet gratiae, est partim in speciebus materialibus sacramenti, et partim in prima re sacramenti, scilicet corpore Christi, ut dictum est in solutione primi, ubi responsu est ad illud quod dicit se probasse, scilicet quod corpus Christi non sit subjectum talis virtutis, vel partiale agens ad ultimum effectum sacramenti.

(a) *quiz.* — Ad. Pr.

(b) *tamen.* — et Pr.

(7) Cfr. Dist. 1, q. 1, art. 3, § 4, 1, ad 2^om; et Dist. 4, q. 1, art. 3, § 1, II, ad 2^om.

Ad secundam confirmationem, patet solutio per predicta. Nam non est simile de sacramento ordinis et de Eucharistia. Nam sacramentum ordinis non consistit in sanctificatione alicuius materiae exterioris, sed potius in sanctificatione personae per materiam exteriorum, ut dicit sanctus Thomas, *vigesima-quarta distinctione hujus*, q. 1, art. 1, in solutione quinte questionis, ubi sic dicit: « Materia in sacramentis exterioribus adhibita significat virtutem in sacramentis agentem extrinsecus omnino advenire. Unde, cum effectus proprius hujus sacramenti, scilicet character, non percipiatur ex aliqua operatione illius qui ad sacramentum accedit, sicut erat in penitentia, sed omnino extrinsecus adveniat, competit ei habere materiam; tamen diversimode ab aliis sacramentis que materiam habent: quia hoc quod in (x) sacramento confertur, in aliis sacramentis derivatur tantum a Deo, non a ministro qui sacramentum dat; sed illud quod in hoc sacramento traditur, scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam ab eo qui sacramentum dat (6), sicut potestas imperfecta a perfecta. Et ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia, que virtutem divinam et significat et continet ex sanctificatione per ministrum adhibita. Sed efficacia hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat; materia autem adhibetur magis ad determinandum potestatem que traditur, particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem causandam; quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod falsa est illa propositio in qua fundat se arguens in prima confirmatione, scilicet quod virtus sacramentalis principaliter sit in materia sacramenti, si eam generaliter intelligat. Hujus enim oppositum patet in sacramento ordinis, et similiter Eucharistie, ut dictum fuit supra (in solut. primi, et ad prim. confir. secundi).

Ad tertium principale, negatur antecedens. Et ad probationem, negatur minor, scilicet quod usus hujus sacramenti per se et seorsum aliquid efficiat ultra illud quod efficit sacramentum, scilicet species cum corpore Christi, efficientia proprie dicta. Et ad ejus probationem, dicitur quod ultimus effectus sacramenti, scilicet gratia, et illa concomitantia, causatur ab ipso sacramento, et non ab ejus usu. Verum tamen usus potest dici causa sine qua non habetur ultima res sacramenti, vel conditio sacramenti sine qua non agit. Et hoc, quia est quedam perfectio secundaria ipsius, licet non pertineat ad essentiam ejus. Et de hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art. 1, in solutione secundi, sic dicit: « In

(x) *quia hoc quod in... in hoc quod illud quod in hoc*
Pr.

(6) *a verbis sed illud usque ad sacramentum dat, om.*
Pr.

his verbis, *Accipite et comedite*, intelligitur usus materiae consecratae, qui non est de necessitate hujus sacramenti. Et ideo nec haec verba sunt de substantia formæ. Quia tamen ad quandam perfectionem sacramenti pertinet materia consecrata, usus, sicut operatio non est prima, sed secunda perfectio ref, non per omnia haec verba, *Hoc est corpus meum*, exprimitur tota perfectio hujus sacramenti. Et hoc modo Eusebius (2) intellexit his verbis confici sacramentum, quantum ad primam et secundam perfectionem illius. » — Haec ille. — Item, quæst. 2 hujus distinctionis, art. 1, q^{ta} 2, in solutione primi, sic dicit: « Quanvis usus sacramenti non sit de essentia sacramenti, est tamen (3) ad completum esse illius, inquantum pertingit ad hoc ad quod est institutum. Et ideo quandoque dicuntur esse de forma non solum illa que pertinent ad consecrationem, sed etiam illa que pertinent ad usum. Et sic loquuntur Ambrosius (4) et Magister *Sentent.* in littera. » — Haec ille.

Cum autem dicit arguens, quod species sacramentales sine usu sacramenti non significant ultimam rem sacramenti, — negandum est. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 74, art. 1, sic dicit: « Panis et vinum sunt materia convenientia hujus sacramenti. Et hoc rationabiliter. Primo quidem, quantum ad usum hujus sacramenti, qui est manducatio; sicut enim aqua assunditur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablution communiter fit in aqua; ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assimiluntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo, quantum ad passionem Christi, in qua sanguis a corpore est separatus; et ideo in hoc sacramento, quod est memoriae dominicae passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis. Tertio, quantum ad effectum consideratum in uniuerso sumendum: quia, ut dicit Ambros, super Epistolam 1. ad Corinth. (cap. 11), in hoc sacramento caro Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero pro salute animæ sub specie vini offertur, sicut dicitur, *Levit.* 17 (v. 14), quod *anima carnis (5)* in *sanguine est*. Quarto, quantum ad effectum respectu totius Ecclesie, que constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis conficitur ex diversis granis, et

vinnum fluit ex diversis uvis, ut dicit Glossa, super illud 1. *Corinthior.* 10 (v. 17): *Multi unum corpus sumus*. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod species panis et vini, inquantum hujusmodi, praeter usum et significationem usus sacramenti, significant ultimam rem sacramenti; licet usus sacramenti faciat ad completissimum significationem sacramenti, sicut et ad ejus potissimum esse et ultimam perfectionem. Et de significatione usus hujus sacramenti, scilicet manducationis et potationis, loquitur sanctus Thomas, prima questione nonae distinctionis, art. 1, in solutione prime quæstiunculae, ostendens quomodo illa manducatio significat primo unionem manducantis ad Christum; secundo, vulnerationem Christi in sua passione; tertio, robur anime; quarto, visionem beatificam, per quam per essentiam suam videnti conjungitur. Ideo illa uero exprimitur nomine manducationis.

Ad confirmationem patet, per predicta, quod minor est falsa, ad intellectum arguentis. Quia sumptio sacramenti nihil per se seorsum efficit aliud ab effectu sacramenti; sed est causa, vel conditio, sine qua sacramentum non habet suum ultimum effectum; sane tamen intelligendo, modo quo exprimit sanctus Thomas, 3 p., q. 80, art. 1, in solutione tertii, ubi sic dicit: « Effectus sacramenti potest ab aliquo percipi; si sacramentum habeatur in voto, quamvis non habeatur in re. Et ideo, sicut aliqui baptizantur baptismio flaminis; propter desiderium baptismi, antequam baptizantur baptismio aquæ; ita et aliqui manducant spiritualiter hoc sacramentum, antequam sacramentaliter sumunt. Sed hoc contingit dupliciter. Uno modo, propter desiderium suscipendi illud sacramentum; et hoc modo dicuntur baptizari et manducare spiritualiter, et non sacramentaliter, illi qui desiderant sumere haec sacramenta iam iustitia. Altero modo, propter figuram, sicut dicit Apostolus, 1. *Corinth.* 10 (v. 2, 3 et 4), quod antiqui patres *baptizati sunt in nube et in mari*, et quod *spirituale escam manducaverunt*, et *spirituale potum biberunt*. Nec tamen frusta adhibetur sacramentalis manducatio; quia plenus inducit effectum sacramenti ipsa sacramenti susceptio; quam solim desiderium, sicut supra (3 p., q. 69, art. 4, ad 2^{am}) circa baptismum dictum est. » — Haec ille.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumentum Aureoli. — Ad primum Aureoli contra secundani conclusionem, negatur minor. Nec valet probatio. Dicitur enim quod sumens tantum sacramentum sub specie panis, non sumit complete hoc sacramentum; quantum ad duo: primo, non quantum ad illud quod est sacramentum tantum et non res; secundo, nec quantum ad

(2) Verba Eusebii Emiseni, de quibus loquitur Divus Thomas, sunt sequentia: *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui, verba suto, secreta potestate, convertit, ita dicens: « Accipite et comedite, hoc est corpus meum; » et, sanctificatione repetita: « Accipite, et bibite, hic est sanguis meus. »* Habentur in Decreto, can. 35, Dist. II, de conser. Revera non sunt Eusebii, sed potius Eucherio Lugdunensi attribuenda sunt.

(3) *quantum.* — Ad. Pr.

(4) Cfr. art. preced., § 3, arg. 2.

(5) *anima carnis.* — *animalis anima* Pr.

completum et integrum usum sacramenti, qui est cibatio et potatio. De hoc sanctus Thomas, octava distinctione hujus, q. 1, art. 1; q^a 2, in solutione quinti, sic dicit: « Quamvis Christus perfectus sit sub utraque specie, non tamen, quantum ad integrum usum sacramenti, est sub utraque, sed quantum ad diversos usus. » Item, secundo loco, arguit sic: « Sacramentum est in genere signi. Sed ea que sunt in genere signi, sicut nomina, plurificantur ad plurificationem significantium; quamvis sit idem significatum; sicut *Marcus* et *Tullius* sunt duo nomina, quamvis sit eadem res significata. Cum ergo in Eucaristia sint duo significantia, sicut species panis et vini, videtur quod sint plura sacramenta. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod illa ratio procedit quando utrumque signum habet integrām significationem. Sie autem non est hic: quia cibatio spiritualis non significatur perfecte neque per panis sumptionem tantum, neque per vini sumptionem, sed per utrumque simul, sicut in significazione nominum compositorum. » — Haec ille. — Ex quibus, et multis aliis dictis in solutionē illius questionis, patet quod sumens precise speciem panis consecrati, non sumat integre totum sacramentum; licet sumat integre totum Christum, qui est res utrinque speciei. Et, si aliquae auctoritates sōnent oppositum, exponenda sunt ad sensum predictum. De hoc etiam multa ad propositum dicit Beatus Thomas, undecima distinctione hujus, q. 2, art. 1, q^a 1, et in solutione secundi, ubi sic dicit: « Quamvis totus Christus sit sub specie panis secundum rei veritatem, non tamen est ibi ex vi sacramenti nisi corpus ejus, et secundum quod venit in usum fidelium. » — Haec ille. — Et multa alia ibidem dicit ad propositum facientia. Ex quibus patet responsio ad dicta Aureoli contra secundam conclusionem.

Verumtamen, ^{ad} faventur novis haereticis Bohemistis, qui dicuntur Hussita, sciendum quod Beatus Thomas, 3 p.; q. 80, art. 12, sic dicit: « Carens usum hujus sacramenti, duo possunt considerari: unum, ex parte ipsius sacramenti; aliud, ex parte sumentium. Ex parte ipsius sacramenti, convenit quod utrumque sumatur, scilicet et corpus et sanguis; quia in utroque consistit perfectio sacramenti. Et ideo, quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum consecrare et perficere, nullo modo debet corpus Christi sumere sine sanguine. Ex parte autem sumentium, requiritur summa reverentia et cautela, ne aliquid accidat quod vergat in injuriam tanti sacramenti et mysterii. Quod principue posset accidere in sanguinis sumptione; qui quidem, si incaute sumeretur, de facili posset effundi. Et quia, crescente multitidine populi christiani, in qua continentur senes, et juvenes, et parvuli, quorum quidam non sunt tanta discretionis ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhiberent, ideo provide in

quibusdam ecclesiis observatur ut populo sanguis sumendus non detur, sed solūm a sacerdote sumatur. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutionē secundi, sic dicit: « Perfectio hujus sacramenti non est in usu fidelium, sed in consecratione materiæ. Et ideo nihil derogat perfectioni hujus sacramenti, si populus sumat corpus sine sanguine; dummodo sacerdos consecrans sumat utrumque. » — Item, in solutionē tertii, sic dicit: « Representatio dominice passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari. Potest autem a populo corpus sine sanguine sumi; nec exinde aliquod detrimentum sequitur, quia sacerdos in persona omnium sanguinem offert, et sub utraque specie totus Christus continetur. » — Haec ille.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM ET QUARTAM CONCLUSIONES

Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra tertiam et quartam conclusiones, respondet bene et sufficienter Durandus, secunda questione hujus distinctionis, ubi sic dicit: « Hic est unum dubium, si posset consecrari corpus Christi per ista verba precise, *Hoc est corpus meum*, non expressis verbis precedentibus, scilicet: *Qui pridie quam patuerit*. Et dicunt quidam quod non: quia sacramentalia verba debent significare illud quod continetur in sacramento; sed ista verba, *Hoc est corpus meum*, sine aliis verbis precedentibus prolatæ, non significant corpus Christi realiter contineri sub speciebus panis, sed significant corpus sacerdotis proferentis (^x) contineri sub eis; ergo, etc. — Confirmatur. Quia, si ego dicerem: *Paulus dicit*; *Hoc est doctrina mea*, non, etc. » Sequitur responsio: « Istud, inquit Durandus, non valet. Quia sufficit quod verba consecrationis significant corpus Christi esse ibi ex institutione Christi ordinantis, et ex intentione ministri proferentis, quamvis precedentia verba hunc sensum non innuant. Quod patet. Quia, si oporteret quod ex forma verborum insinuaretur corpus Christi ibi esse, non solum non fieret consecratio per haec verba, *Hoc est corpus meum*, aliis non premissis, sed etiam, per eamdem rationem, eis premissis. Quod patet. Quia praecedentia verba recitantur ut dicta a Christo, scilicet *Accipiens patrem*, *benedixit*, *fregit*, *deditque discipulis suis*, *dicens*: *Hoc est corpus meum*. Constat autem quod per haec seriem verborum non significatur quod corpus Christi sit sub speciebus panis quem sacerdos tenet, vel coram se habet, sed solum sub speciebus panis quem Christus accepit et benedixit. Ergo per haec verba non esset corpus sub speciebus panis presentibus sacerdoti; quod est falsum, et

(x) *proferentis*. — *perferentis* Pr.

erroneum. Sufficit ergo quod verba consecrationis significant illud quod continetur in hoc sacramento, non ex serie verborum precedentium, sed ex institutione Christi, et intentione ministri gerentis personam Christi. » — Hæc Durandus in forma, et bene, conformiter ad dicta sancti Thomæ, 3^o, q. 78, art. 1, in solutione quarti, ubi sic dicit: « Si sacerdos sola predicta verba proferret, et cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum: quia intentio sacerdotis ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolatæ, etiam si verbis praecedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans. » — Hæc ille. — Similia dicit, secunda quæstione hujus distinctionis, art. 1, q^{ua} 4, in solutione quarti. Ex quibus patet solutio ad primum Scoti, et ad ejus confirmationem:

Ad secundum patet solutio ex dictis ad tertium Aureoli contra primam conclusionem. Ambrosius enim et Eusebius dicunt illa verba, *Accipite*, etc., pertinere ad consecrationem ratione ibidem taeta: non quia sint de essentia formæ consecratiæ; sed quia faciunt ad pleniori expressionem consecrationis sacramenti, dum explicant non solum primam, sed etiam secundam perfectionem sacramenti. Unde in missali Ambrosiano hæc oratio, *Hoc est enim corpus meum*, est scripta litteris aureis; et similiter totum hoc, *Hic est enim calix*, etc., usque in remissionem peccatorum (z) inclusive, ut recitat Petrus de Palude (dist. 8, q. 3). Ex quo patet quod solum haec verba, *Hoc est enim corpus meum*, sunt de essentia formæ consecrationis panis, et non aliqua praecedentia; et similiter, quod ad essentiam formæ consecrationis sanguinis pertinent non solum haec verba, *Hic est sanguis meus*; immo omnia sequentia usque ly remissionem peccatorum inclusive. Nec obstat si dicatur etiam quod ly enim est ibi scriptum litteris aureis, et tamen non est de essentia: quia hoc ideo est, quia est in medio partium essentialium formæ; et ne viderentur duas formæ, ideo factum est.

§ 4. — AD ARGUMENTA CONTRA QUINTAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — **Ad primum** Scoti contra quintam conclusionem, dicitur primo, quod arguens false imponit sancto Thomæ quod totalis significatio orationis constituatur ex partialibus significatiōnibus partium quasi totum. Hoc enim expresse negat sanctus Thomas; licet concedat quod significatio totius orationis resultat ex significatis partium. Unde, secunda quæstione hujus distinctionis, art. 3, in solutione septimi, sic dicit:

(z) et. — Ad. Pr.

« Significatio orationis, quamvis, relata ad partes quibus sit significatio, videatur composita, tamen, relata ad rem significatam, simplex est, in quantum significat unum quid, scilicet compositionem hujus cum hoc; sicut etiam Philosophus dicit in 5. *Metaphysicæ* (t. c. 19), quod substantia senarii non est bis tria, sed semel sex, quam ibi qualitatem nominat. Unde, sicut ad hanc qualitatem senarii se habent: partes ejus ut dispositiones materiales, et non ut qualitates partium, sicut partes unius totius qualitatis; ita significatiōnes partium sunt dispositiones ad significationem totius orationis, quæ consurgit ex significatiōne ultimæ partis in ordine ad omnes praecedentes, etc. » — Hæc ille. — Item, art. 1, in solutione primi argumenti quartæ quæstiunculae, sic dicit: « Ea quæ sunt in voce, proportionantur his quæ sunt in anima. Conceptio autem animæ duobus modis est. Uno modo, ut repræsentatio rei tantum, sicut est in omnibus cognitionibus vel conceptibus acceptis a rebus; et tunc veritas conceptionis presupponit entitatem rei sicut propriam mensuram, ut dicitur, 40. *Metaphysicæ* (t. c. 5); et per modum hujus conceptionis se habent locutiones, quæ causa significatiōnis tantum profertur. Alio modo conceptio animæ non est repræsentativa rei tantum, sed magis præsignativa, sicut exemplar factivum, sicut patet in scientia practica, quæ est causa rei; et veritas hujus conceptionis non presupponit entitatem rei, sed precedit illam naturaliter, quasi causa ejus, etsi sint simul tempore. Et per hunc modum se habent verba præmissa, scilicet *Hoc est corpus meum*; quia sunt significatiōna et factiva ejus quod significatur. Unde veritas et significatio hujus locutionis precedit naturaliter entitatem rei quam significat, et non presupponit illam, quamvis simul sit causa propria cum suo effectu proprio. Sed quia significatio et veritas locutionis, quæ est simul tempore cum transsubstantiatione, consurgit ex significatiōnibus partium successive prolatarum, ideo oportet quod dictio ultimo prolatâ compleat significatiōnem locutionis, sicut differentia specifica; et simul cum significatiōne sit entitas rei; et, per consequens, significatiōnes primarum partium praecedant transsubstantiationem, quæ quidem non successive fit, sed in instanti ultimo, per significatiōnem locutionis jam perfectam. Sic ergo hoc pronomen, *hoc* neque demonstrat terminum ad quem transsubstantiationis determinate, quia jam significatio locutionis presupponeret entitatem rei, et non esset causa ejus; neque iterum demonstrat terminum a quo determinate, quia ejus significatio impediret veritatem significatiōnis totius locutionis, cum terminus a quo non remaneat in ultimo instanti locutionis. Relinquitur ergo quod demonstret hoc quod est commune utrique termino indeterminate. Sicut autem in formalibus mutationibus commune utrius termino est subjectum vel materia, distin-

guuntur autem termini per formas substantiales vel accidentales; ita in transsubstantiatione commune est accidentia sensibilia, que remanent, diversitas autem est substantiarum. Unde sensus est: *Hoc, id est, contentum sub his speciebus, est corpus meum.* Et haec est causa quare cum pronomine non ponitur aliquod nomen, ne demonstratio ad aliquam speciem substantiae determinetur. Sicut enim in locutione quae significat tantum alterationem, per se subjectum est subjectum alterationis commune, ut cum dicitur, *Hoc fit album;* ita oportet quod in locutione quae facit transsubstantiationem, subjectum sit hoc quod est commune in transsubstantiatione. » — Hac ille.

Ex quibus apparet quod, secundum mentem sancti Thomæ, significatio hujus categorie, *Hoc est corpus meum*, et aliarum similium, est quædam forma simplex, non composita ex significacionibus partium, sed se habens ad illas sicut formale ad sua materialia. Secundo, quod totalis significatio consurgit ex significationibus partialibus, sicut forma ex sua dispositione materiali. Tertio, quod in hac oratione, *Hoc est corpus meum*, ly *hoc* non demonstrat determinate terminum *a quo*, nec determinate terminum *ad quem* transsubstantiationis, sed aliquid commune utriusque, per modum individui vagi, puta *hic homò*, secundum modum loquendi Durandi et Petri de Palude et multorum aliorum. Quarto, quod ly *hoc* non demonstrat aliquid sub disjunctione, puta terminum *a quo* vel terminum *ad quem*, ita quod dicta locutio aequipolleat (α) tali disjunctivæ, *Hoc est, id est, A est corpus meum, vel hoc, id est, B est corpus meum.* Nec aequipolleat alicui propositioni de disjuncto subjecto, puta tali, *Hoc, id est, A vel B est corpus meum.* Sed ly *hoc* habet ibi suppositionem non simplicem, nec determinatam, sed suppositionem confusam tantum, etsi non ex virtute sermonis, tamen ex institutione Christi accommodantis hanc locutionem practicam et factivam ex suo beneplacito ad talem suppositionem et significationem, et subjectum ejus ad praedictam demonstrationem unius confusi communis ad terminum *a quo* et ad terminum *ad quem*, sine actuali expressione vel demonstratione alicujus illorum per modum copulativæ vel disjunctivæ, aut per modum propositionis de disjuncto aut copulato subjecto; sed uterque terminus ibidem demonstratur in quodam communi confuse et potentialiter, sicut singulare in suo universalis, vel communi, vel superiori.

Ex quibus patet quod argumentum Scoti non vadit ad mentem sancti Thomæ. Tum quia falsum supponit, in hoc quod dicit significationem orationis constitui ex significationibus partium. Tum quia, concesso quod ly *hoc*, quando proferitur, demonstrat

illud quod significat, et econtra, non ideo sequitur quod demonstret actu et determinate et in particuli significato aliquid quod tempore illius prolatis est contentum sub illis speciebus, nec aliquid pro tunc non contentum sub illis; sufficit enim quod demonstret aliquid commune utriusque, utrumque continens in potentia et confuse, et neutrum actu et determinate vel distinete, sicut animal continet suas species, et homo sua individua. Tum quia similitudo quam adducit de ista locutione, *Hoc corpus est aqua*, et ista, *Hoc est corpus meum*, nihil valet: quia prima locutio est speculativa, secunda autem est practica; prima non est accommodata tali demonstrationi, secunda vero sic. Tum (x) quia supponit quod ly *hoc* demonstret tempus certum, vel sub certo tempore: hoc enim falsum est, quia pronomen non habet significare nec supponere cum tempore.

Et de hoc Petrus de Palude (dist. 8, q. 3), in proposito, sic dicit: « Quidam dicunt quod hoc pronomen *hoc* facit demonstrationem ad sensum et intellectum simul, sic intelligendo, quod demonstrat aliquid quod est objectum intellectus, et aliquid quod est objectum sensus, primum in recto, secundum in obliquo, ut sit sensus: *Hoc, id est, aliquid sub hac specie sensibili*, non restringendo existentiam sub hac specie sensibili ad aliquam temporis differentiam determinatam. Significatio enim nominis, sive substantivi, sive adjективi, non restringitur ad aliquam differentiam temporis; unde, secundum Donatum, tempus non est de accidentibus nominis. Et quia suppositio nominis fundatur super ejus significationem, ita quod nihil supponit nisi in quo salvatur significatum ejus, ideo per hunc terminum substantiale, vel substantivum, potest supponi substantia quæ est; vel quæ fuit, vel quæ erit. Cum ergo, secundum Donatum, ideo dicatur pronomen quia ponitur pro nomine, demonstratum per hoc pronomen *hoc* potest intelligi aliquid praesens, vel de propinquuo futurum sub hac specie; secundum enim Donatum, pronomini non accedit tempus. Nec potest dici quod restringatur per verbum praesens ad supponendum pro aliquo quod est praesens sub illa specie, cum verbum futuri temporis restringere non possit terminum ad supponendum tantum pro re futura. Cujus ratio est: quia, quamvis res significata per verbum sit immediate unita rei significante per suppositum, tamen significat per modum distantis; idem autem significatum per modum distantis, non restringit id quod est significatum per modum distantis (ε); cum enim dicitur, *Iste homo est albus*, iste terminus homo

(x) *Tum.* — *Om. Pr.*

(ε) *idem autem significatum per modum distantis, non restringit id quod est significatum per modum distantis.*

— Id autem quod est significatum per modum indistantis Pr.

(α) *equipolleat.* — *equipolleat Pr.*

non restringitur ad supponendum pro albis tantum, sicut cum dicitur, *Homo albus*. Cum ergo sacerdos in persona Christi proferat hanc propositionem, *Hoc est corpus meum*, sensus est quod *aliquid sub hac specie præsens, vel de propinquuo futurum, est corpus meum*. Et hoc est simpliciter verum. Quia, quamvis hæc disjunctiva, ratione hujus partis, *aliquid præsens sub hac specie*, non sit vera, nisi secundum usum loquendi, quo aliiquid statim convertendum in rem illam dicitur res illa esse, ut aqua statim convertenda in aerem dicitur aer; et humor statim convertendus in carnem dicitur caro; tamen, ratione alterius partis disjunctivæ, ex via locutionis, vera est; orationi enim assistit virtus operans in fine propositionis rem significatam per eam. Disjunctiva autem est vera, si altera pars est vera; et indefinita vel particularis similiter est vera, euicunque supposito per subjectum conueniat prædicatum. — Sed hæc dicta de demonstratione quantum ad intellectum individui vagi videntur bene salvare quod non sit falsitas, si addatur quod non simpliciter fiat demonstratio quoad sensum et intellectum. Näm, si solum ad intellectum, non esset necesse quod sacerdos haberet ante se materiam; cum demonstratio ad intellectum abstrahat ab hinc et nunc. Sed ex quo sensus est, *Contentum sub his speciebus est corpus meum*, vel, *Illud quod continetur sub his speciebus est corpus meum*, vel, *Id quod continebitur sub his speciebus est corpus meum*, etc., est duplex demonstratio: una ad sensum, quæ refertur ad species, et hæc est individui significati; alia autem ad intellectum, quæ est individui vagi. Et potest esse vera, sed pro diversis: quia, si dicat, *Id quod est contentum sub his speciebus est corpus*, verum est, quia corpus panis; si dicat, *corpus meum*; verum est, quia quando dicit *meum* tunc est ibi corpus Christi. Et potest ponite exemplum. Ponatur quod Deus ex aere faciat ignem, remanente quantitate et qualitate symbola, sicut aliqui dicunt fieri naturaliter. Et ponatur quod alteratio qua sit hoc, incipiat, me incipiente dicere, *Illud quod continetur sub hac quantitate et qualitate est ignis*, et compleatur, me complente hanc orationem, tunc oratio erit vera. — Sed contra hoc videtur: quia, quando dico hoc, *Illud quod continetur, vel est contentum*, etc., utrumque verbum est præsentis temporis; unde sensus est, *Illud quod continetur nunc, vel est contentum nunc, est illud*; et hoc est falsum; quia aliud continetur in principio orationis, et aliud in fine, nec unum est aliud. Et dicendum quod sermoni non res, sed rei subjectus est sermo, et intentioni dicentis; et quia non intendit de contento pro nunc, sed de contento pro fine locutionis, ideo, etc. — Sed nec illud valet: quia tunc esset sensus, *Hoc*, id est, *quod continendum est*, et non *id quod est contentum*, etc.; et sic prius esset factum quam significatum; et sic

verba non efficerent, sed supponerent. Unde videtur quod, sicut demonstratio ad intellectum est de individuo vago, sic etiam consignificatur tempus vagum, ita quod intendat prius significari quam verificari, et entitas rei sit media inter significationem et veritatem significantis, quasi dicaret, *Hoc est corpus meum*; id est, *Volo quod hic sit corpus meum, dum hic dicitur, et quia dicitur, et vere dicitur*. — Sed, secundum hoc, videtur quod non de virtute sermonis, sed de bonitate intellectus verificetur. Sed dicendum quod aliud est loqui de rebus factis, in quibus locutio accipitur pro tempore quo incipit proferri vel ante, aliud de fiendis, in quibus, etiam ex proprietate loquendi, significatio refertur ad futurum; et aliud de sermone speculativo, qui sequitur rem, et de factivo, qui præcedit; et talis est sermone iste. Unde non est intentio quod pro illo nunc sit vera, sed pro ultimo. Sic ergo sensus est, *Hoc est corpus meum*, id est, *Contentum sub his speciebus est corpus meum*. Et tunc pronomen supponit et demonstrat contentum, abstrahendo ab omni differentia temporis; unde potest verificari pro instanti ultimo locutionis; sicut econtra dici posset, *Hic est panis*, id est, *Contentum sub his speciebus*, etc.; et tunc verificaretur pro primo instanti; nomen enim et pronomen, ut dictum est, abstrahunt a tempore, cum non consignificant tempus. Nec obstat quod verbum substantivum est consignificat tempus præsens: quia prior est ejus significatio qua copulat prædicatum subjecto, quam consignatio temporis que designat tempus illius copulæ; unde, cum copulatio non compleatur ante ultimæ dictionis prolationem, per consequens non designatur illud tempus. Unde sensus est: *Contentum sub his speciebus est corpus meum, tunc primo cum hoc dictum est.* » — Hæc Petrus, in forma. — In quibus multa dicit ad propositum, potissime de consignificatione temporis in copula verbali, scilicet *ly est*, et de ampliatione, vel restrictione, et omnimoda suppositione et connotatione, consignificatione et demonstratione hujus pronominis *hoc* in prædicta oratione, *Hoc est corpus meum*.

Apparet autem mihi quod, quantumcumque *ly hoc* restringeretur ad demonstrandum aliiquid præsens, et ad tempus significatum per *ly est*, sicut habet communis logica, ex hoc tamquam nullo modo posset inferri quod supponeret pro aliquo præsenti significato, puta pane, vel corpore Christi; sed sufficit quod supponat pro aliquo præsenti vago, communis, confuso, eo modo quo talia possunt dici præsentia, præterita vel futura. Item, nec oportet quod illa præsentia intelligentur respectu mensuræ in qua profertur *ly hoc*, sed respectu mensuræ in qua completa est significatio totius orationis: nam pro illo instanti *ly est* intelligitur copulare prædicatum subjecto, et non prius, in talibus orationibus factivis, quarum completa significatio naturaliter præ-

cedit entitatem rei et veritatem orationis; secus est de orationibus speculativis, quarum veritas presupponit entitatem rei, nec aliquo modo eam causat aut efficit.

Ad secundum patet responsio per idem. Quia fundatur in multis falsis. Primum est, quod significatio totius orationis constituatur ex significatis partium. Secundum est, quod partes illius orationis supponant pro aliquo significato determinato praesenti pro mensura prolationis vocum. Tertium est, quod *ly est* designet presentiam mensuræ præcedentis completam prolationem orationis. Quartum est, quod subjectum orationis predictæ supponat disjunctive pro altero duorum signanter et determinante et in actu, scilicet pro termino *a quo*, vel *ad quem*; et quod dicta locutio æquipolleat hypotheticae disjunctivæ, vel categoricæ de disjuncto subiecto continente actu et determinate duo aliqua signata. Et multa alia supponit, per nos neganda.

Ad tertium patet responsio per predicta; quia fundatur in falso.

Et hoc sufficit ad argumenta Scoti.

II. Ad argumenta Aureoli. — **Ad primum** Aureoli, dicitur quod *ly hoc* demonstrat contentum sub speciebus sacramenti. Sub illis autem non continentur proprie quocumque accidens, virtute sacramenti; sed sola substantia, tanquam signabile per ea, vel succedens signabili, virtute conversionis. Si autem alia continentur sub predictis speciebus, scilicet quantitas, qualitas (2), hoc non est virtute sacramenti, nec conversionis, sed per concomitantiam ad substantiam, ut alias forte dicetur. Nec *ly hoc* demonstrat primo et per se in hac locutione nisi substantiam, et non quocumque accidens, nec compositum ex substantia et accidente. Et si forte concedi posset quod aliquando in aliqua demonstratione ad sensum demonstrat substantiam sub accidentibus, non tamen utrumque ex aequo, nec aequo primo, aut per se, sed substantiam directe et ut *quod*, accidentia vero indirecte et ut *cujus*, vel substantiam ut illud quod directe demonstratur, accidentia vero ut quibus substantia est demonstrabilis et signabilis, si loquuntur de demonstratione ad sensum. Et ad probationem (6), minor est neganda: nam ad quæstionem per *quid est hoc* non necesse est responderi per aliquod ens per accidens complectens in se substantiam et accidens; sed sufficit respondere per meram substantiam; potissime ubi est demonstratio ad intellectum et non ad sensum, vel simul ad intellectum et ad sensum, ad intellectum in recto, et ad sensum in obliquo, sicut est in hac locutione, *Hoc est corpus meum*, ut superius (*ad primum* Scoti) est expressum.

(1) *quantitas, qualitas.* — *quantitate, qualitate* Pr.
(2) *quod.* — *Ad. Pr.*

Ad confirmationem, dicitur quod magis est ad oppositum quam ad propositum. Quia substantia de qua ibi loquitur Philosophus; et Commentator, accipitur prout de ea tractat metaphysicus, et ut est communis ad substantiam sensibilem et ad separatum, et prior utraque. Et constat quod talis substantia non includit accidentia signantia substantiam, nec facientia ad ejus situalem demonstrationem. Cum ergo, secundum Aristotelem, talis substantia respondeatur ad quæstionem *quid est hoc*, constat quod *ly hoc* non oportet quod demonstret substantiam cum accidentibus, cum possit demonstrare substantias separatas ab omni tali accidente signativo (2) substantiae.

De predictis sanctus Thomas, 1 p., q. 13, art. 1, in solutione tertii, sic dicit: « Pronomina demonstrativa dicuntur de Deo secundum quod faciunt demonstrationem ad id quod intelligitur, non autem ad id quod sentitur. Secundum enim quod a nobis intelligitur, secundum hoc sub demonstratione cadit. » — Haec ille. — Similia dicit, 1. *Sentent.*, dist. 22, q. 4, art. 1, in solutione tertii. Item, ad propositum, 3 p., q. 78, art. 5, arguit sic, secundo loco: « Hoc pronomen *hoc* facit demonstrationem ad sensum. Sed species sensibiles, quæ sunt in hoc sacramento, neque sunt ipsum corpus Christi, neque sunt accidentia corporis Christi. Ergo haec locutio non potest esse vera, *Hoc est corpus meum*. » Eece argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod hoc pronomen *hoc* non demonstrat accidentia ipsa, sed substantiam sub accidentibus contentam, que primo fuit panis, et postea est corpus Christi, quod, licet non informetur his accidentibus, tamen sub eis continetur. » — Haec ille.

Ad secundum dicitur quod corpus Christi continetur in hoc sacramento, et dicitur contentum esse in sacramento, non sicut locatum continetur a loco, sed modo quodam speciali. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 75, art. 4, in solutione tertii, sic dicit: « Corpus Christi non est eo modo in sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento. Unde dicimus quod corpus Christi est in diversis altaribus, non sicut in diversis locis, sed sicut in sacramento. Per quod non intelligimus quod Christus sit ibi solum sicut in signo, licet sacramentum sit in genere signi; sed intelligimus corpus Christi imesse secundum modum proprium huic sacramento. » — Haec ille. — Item, decima distinctione *Quarti*, q. 1, art. 4, in solutione quinti: « Corpus Christi non est hic ut in loco, per se loquendo; sed ut in sacramento, non solum significante, sed continente ipsum ex vi conversionis facta, etc. » Conceditur tamen quod, cum

(2) *signativo.* — *significative* Pr.

corpus Christi sit in hoc sacramento modo spirituali, et quasi consimiliter illi modo quo spiritualia sunt in loco, non est inconveniens concedere quod corpus Christi continet aliquo modo species sacramentales. De hoc sanctus Thomas, nona distinctione Quarti, q. 1, art. 1, q^{ta} 1, in solutione secundi, sic dicit: « De ratione manducationis est quod aliquid per os introrsum sumatur. Sed esse in aliter est in corporalibus, et aliter in spiritualibus: quia, in corporalibus, quod est in continet sicut locatum in loco; in spiritualibus autem, quod est in continet sicut anima corpus. Et ideo convenienter cibus corporis trahitur ad corpus, ut contentum ad id quod continet; cibus autem mentis trahit ad se mentem, ut continens contentum. » — Hec ille. — Et sicut ipse dicit Christum continere sumentem, vel mentem ejus; ita potest concedi quod Christus continet hoc sacramentum uno modo, licet alio modo continetur a sacramento. Prima continentia est virtualis, et quasi cause efficientis; secunda est relativa interiorum, per modum habitus et accidentis. Sed de hac materia diffusius dicetur post.

Ad illud autem quod ultimo inducitur, scilicet quod ly hoc non habeat demonstrare aliquod contentum, etc., — dicitur quod hoc est falsum. Quia omne intelligibile potest demonstrari per philosophum, demonstratione ad intellectum, etiam Deus. Demonstratione vero ad sensum non potest nisi ipse situs, vel aliquid determinatum ad situm. Quod tamen potest multipliciter contingere: scilicet quia tale quid est subjectum situs, ut quantum, vel est pars subjecti situs, vel accidentis ejus, vel unitum illi, vel velatum ab illo, aut alio modo contentum qualcumque continentia ab ipso quanto.

§ 5. — AD ARGUMENTA CONTRA SEXTAM CONCLUSIONEM.

I. Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contra sextam conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 8, q. 3) modo quo recitat arguens. Dicit enim sic: « Dicendum ad primum, quod major est falsa: quia in illis verbis que Christus instituit, consistit forma, et non in medietate illorum, quamvis continerent totum effectum. Si enim dicatur, *Ego baptizo te*, et nihil plus, non est baptismus; quamvis illud quod additur, *in nomine Patris*, etc., non perfineat ad effectum, sed ad causam. Et similiter, si dicatur, *Confirmo te*, et non addatur, *Consigno te, chrismate*, et *in nomine*; etc., non est confirmatio. Ha et in proposito: quia ex ritu Romanae Ecclesie ab Apostolis traditum supponimus, sicut accepimus a Domino, quod illa verba dicantur sub eodem rito; ideo supponimus illis verbis et non paucioribus consecrari. » — Hec Petrus in forma, et multum bene.

Cum autem contra hoc replicat Durandus,

dicitur primo, quod replica sua destruit argumentum. Si enim in majori argumenti sui intendat dicere quod non sufficit quod forma verborum sacramentalium exprimat totum effectum sacramenti, nisi cum hoc exprimat causam primariam effectivam sacramenti et sui effectus, et quedam alia determinativa predictorum, tunc appareat quod minor intellecta et debite sumpta sub majore sic intellecta, falsa est, quia in istis verbis precise, *Hic est calix sanguinis mei*, etc., non exprimuntur omnia predicta, scilicet determinantia causam et effectum sacramenti, et potissime ex institutione Christi. Si autem in majori velit et intendat dicere quod sufficit quod forma verborum sacramentalium · consecrationis sanguinis exprimat (z) precise effectum consecrationis sanguinis, non exprimendo causam sacramenti, nec aliquam determinationem cause vel effectus sacramenti, tunc per argumenta Petri appareat quod major est falsa, et similiter ex propria concessione Durandi in sua replica. Si autem intendat dicere quod requiritur expressio causae primariae sacramenti, puta invocatio Trinitatis, vel Christi nominatio, non autem quacumque alia determinatio effectus, vel cause, vel materie, vel actus ministri, tunc appareat quod dictum suum est voluntarium, et falsum in forma sacramenti confirmationis, et contra ritum Romanae Ecclesie quoad sacramentum Eucharisticum, et contra modum et ritum consecrationis beati Ambrosii, de quo supra dictum est (6). Unde responsio Petri stat; et replica Durandi, et corroboratio argumenti sui non valet usquequaque. — Dicitur secundo, quod cum dicunt doctores authentici quod ille sunt forme sacramentorum, que significant effectum sacramenti, non intelligunt quod illa verba precise pertineant ad formam sacramenti, que significant effectum vel causam sacramenti, ut bene probat Petrus; sed intelligunt quod talis significatio necessaria est forme sacramenti; sed non sufficit, sine pluri, ad integrum formam sacramenti, nisi addantur omnia et singula verba instituta a Christo ad completam significationem sacramenti; sic autem non est in predictis verbis, *Hic est calix sanguinis mei*. Si autem doctores non authentici dicant oppositum, non est curandum de dictis eorum; quia sepe plus student contentioni quam veritatis auditioni.

Et ex predictis patet ad confirmationem primi argumenti Durandi.

Ad secundum principale respondet Petrus (ibid.), dicens quod et non mirum si verba consecrationis panis sine determinatione sufficiunt: quia in consecrando Christus ea sine determinatione protulit, et talem vim eis dedit, qui potuit etiam uni verbo eandem vim tribuere, si voluit. Nam quod addidit,

(z) exprimat, et exprimant Pr.

(6) Cfr. § 3, ad 2^{nm}.

quod pro vobis tradetur, non in consecrando, sed ante, vel post, dictum est, ut supponimus ex ritu Ecclesiae, qui nec ante, nec post, illud dicit, quem tamen in consecrando nihil de verbis Christi omittit. In consecratione autem sanguinis pro tanto talia verba non sufficiunt, quia Christus ea sine determinatione non protulit sicut prima, et sic voluit proferri ut ipse protulit, et sic habere efficaciam, sicut tunc habuerunt, non aliter. Et si queratur quare in consecratione sanguinis plus voluerit addere determinationem quam in consecratione corporis; — potest dici quod ideo quia in totali effusione sanguinis fuit consummatum mysterium redemptionis, non autem in traditione corporis, quod die precedenti factum est; et quia in lanceatione expressius significatum est quod de latere Christi formata est Ecclesia, sicut de latere Adae dormientis Eva. » — Hae Petrus, et bene, et conformiter sancto Thomae, 3 p., q. 78, art. 3, ubi arguit sic, secundo loco: « Non sunt majoris (z) efficacie verba que proferruntur in consecratione panis, quam ea que proferruntur in consecratione vini, cum ultraque sint verba Christi. Sed statim dicto, *Hoc est corpus meum*, est perfecta consecratio panis. Ergo statim ut dictum est, *Hic est culic sanguinis mei*, est perfecta consecratio vini et sanguinis; et ita ea que consequuntur (6) non sunt de substantia formae, praesertim cum pertineant ad proprietates hujus sacramenti. » Ecce argumentum. Sequitur responso: « Dicendum, inquit, quod quia sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi representat, ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quod est passionis subjectum. Quod etiam designatur in hoc quod Dominus dicit, *Quod pro vobis tradetur*, quasi diceret, *Quod pro vobis passioni subjicietur*. » — Hae ille. — Item, secunda quæstione hujus distinctionis, art. 2, q^{ta} 1, in solutione secundi, respondet sic ad idem argumentum: « Cum Eucharistie sacramentum sit memoriale dominice passionis, in consecratione corporis non representatur nisi passionis subjectum; sed in consecratione sanguinis representatur passionis meritum: non enim a corpore Christi sanguis ejus seorsum fuit nisi per passionem; et ideo conditiones dominice passionis exprimuntur per verba sequentia, magis in consecratione sanguinis quam in consecratione corporis. » — Hae ille. — Item, ibidem, tertio loco, arguit sic: « Proprietates naturaliter consequuntur substantiam rei. Sed illud quod consequitur substantiam, non potest esse factivum transsubstantiationis. Ergo, cum illa verba que sequuntur designent alias proprietates sanguinis, in quem fit transsubstantatio, videtur quod non

sint de forma. » Ecce argumentum. Sequitur responso: « Dicendum, inquit, quod, quamvis illa que sequuntur sint ut proprietates consequentes Christi sanguinem in quantum huiusmodi, sunt tamen essentiales sanguini Christi in quantum est per passionem effusus. Non autem seorsum a corpore Christi consecratur sanguis Christi, sicut nec aliae partes ejus, nisi pro eo quod est in passione effusus. Et ideo illa quae sequuntur, sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecratur. Et ideo oportet quod sint de substantia formæ. » — Hae ille. — Et multa similia dicit in predictis locis, conformia solutioni Petri.

Ad tertium respondet Petrus (ibid.), quod, « si verum est quod dicitur, quod scilicet Graeci aliqua verba omittant, tunc dicendum quod ipsi non conficiunt, licet baptizent (z). Nec negantur non (6) confidere propter mutationem formæ; sed solum dicitur quod mutatio qualitatis materiae, quia in fermento conficiunt, non impedit sacramentum, quamvis ipsi econtrario dicant nos non confidere in azymo. » — Hae Petrus, et bene. — Unde apparet mihi quod vel historia Durandi falsa est; vel, si vera est, oportet dicere quod, si Graeci vere conficiunt, hoc est ex speciali consilio et virtute Spiritus Sancti, sicut Apostoli quando baptizabant in nomine Christi. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 66, art. 6, sic dicit: « Sacraenta habent efficaciam ex institutione Christi. Et ideo, si praetermittatur aliiquid eorum que Christus instituit circa aliquod sacramentum, efficacia caret; nisi ex speciali dispensatione ejus qui virtutem suum sacramentis non alligavit, etc. »

Ad quartum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « verba pertinentia ad effectum qui causatur ex usu hujus sacramenti, inter queni et sacramentum est usus medijs, non sunt de essentia sacramenti. Nec de his verbis fit hic mentio. Sed verba pertinentia ad effectum sanguinis Christi, non prout est in sacramento, sed prout fuit fusus in cruce, pertinent ad essentiam, pro tanto quia, ut determinativa predicati, sunt posita in oratione una, que est consecrativa sanguinis; nec est completa significatio, quousque tota oratio sit completa; nec, per consequens, est totalis effectus ante, quia significando causant. Et de talibus verbis est questio; non autem de primis. » — Hae Petrus, et conformiter ad alia superius dicta, in solutione tertii principalis Aureoli contra primam conclusionem. Ibi enim allegatur sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art 1, in solutione secundi, ubi sic dicit: « His verbis, *Accipite et comedite*, intelligitur unus materiae consecratio, qui non est de necessitate hujus sacramenti. Et ideo nec haec verba sunt de substantia formæ, etc. »

(z) majoris. — minoris Pr.

(6) consequuntur. — consecrantur Pr.

(z) baptizent. — baptizant Pr.

(6) negantur non. — non negantur Pr.

Ad quintum respondet Petrus (ibid.), quod « impugnatio rationis non valet : quia illa determinatio, *Quod pro vobis tradetur*, non ponitur in forma, licet ponatur in historia Evangelii; alia vero ponitur in forma plus quam in historia; quia nec intentio Evangelistarum sicut posse formas sacramentorum, sed magis historias dictorum et factorum Christi »). — Hec Petrus (6), et conformiter dictis Beati Thomae, 3 p., q. 78, art. 3, in solutione noni, ubi sic dicit : « Evangeliste non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius in fine *Ecclesiastice Hierarchiae*; sed intenderunt de Christo historiam texere, etc. » Simile dicit, secunda questione hujus distinctionis, art. 2, q^a 1, in solutione primi argumenti.

Ad sextum respondet Petrus (ibid.), quod « impugnatio illa non valet. Quia non omnia que pertinent ad ritum, sunt de essentia; sed illa sola que significant illa que ad essentiam pertinent sacramentum, vel ex parte subjecti, vel ex parte predicti, et sub eodem rite proficeruntur. De talibus intelligitur major, de quibus est illud, *Noxi et aeterni testamenti*, etc. — Quod autem dicit Magister in littera, et Ambrosius, *de Consecratione*, dist. 2, can. *Panis est in altari*, quod illis verbis conficitur (et can. *Quia corpus*, dist. 2, *de Cons.*), et reliqua pertinent ad landas et orationes, — referendum est ad reliqua que non sunt pars illius orationis qua sit consecratio ». — Et haec Petrus, et bene.

II. Ad argumenta Aureoli. — Ad primum et secundum Aureoli, patet responsio ex dictis ad secundum Durandi. Nam illam determinationem, *Quod pro vobis tradetur*, non addidit Christus in forma consecrationis panis, sicut illam, *Noxi et aeterni*, etc., addidit in forma consecrationis vini. — De forma vero Graecorum, satis dictum est in solutione tertii Durandi.

III. Ad argumentum aliquorum. — Ad argumentum aliquorum, dicitur quod forma verborum est de essentia consecrationis sacramenti, non autem de essentia sacramenti consecrati et completi. Hoc enim sacramentum differt ab aliis : quia alia consistunt in quadam successione, et factione, et receptione, et applicatione (7) materie exterioris ad hominem, et ideo forma verborum in illis est de essentia sacramenti; sed hoc sacramentum consistit in consecratione materie, non quidem activa, sed passiva; unde differt ab aliis, sicut permanens a successivis. Propter quod non oportet formam ver-

(6) *dictorum et factorum Christi*, — *doctorum et sanctorum Pr.*

(7) *applicatione*. — *ampliatione Pr.*

borum esse de essentia hujus sacramenti, sed de essentia consecrationis active sacramenti; quia, transente forma, manet integrum sacramentum quamvis species sacramentales manent. Vel, si concedatur quod forma est aliquo modo de essentia sacramenti, hoc intelligendum est quoad fieri, non quoad factum esse.

Ad argumentum contra conclusionem, respondet sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art. 4, in solutione quarti : « Quidam, inquit, dixerunt hoc sacramentum perfici non posse predictis verbis prolatis, et aliis praetermissis, præcipue que sunt in canone missa. Sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Ambrosii predictis (2), tum etiam quia canon missa non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita. Unde dicendum est quod, si sacerdos sola verba predicta proferret, et cum intentione consecrandi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum; quia intentio faceret ut haec verba intellegentur quasi ex persona Christi prolati, etiam si verbis precedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesie non servans. Nec est simile de baptismo; quod est sacramentum necessitatis. Defectum autem hujus sacramenti potest supplerre spiritualis manducatio, ut Augustinus dicit (in Joannem, tract. 26). » — Hec ille.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO X.

QUESTIO I.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN ALTARI,
VEL EUCHARISTIE SACRAMENTO, REALITER

 Simca decimam distinctionem 4. *Sententia* 4. *tiarum* queritur : Utrum corpus Christi sit in altari, vel Eucharistie Sacramento, realiter.

Et arguitur quod non. Quia nullum corpus potest esse in diversis locis. Sed corpus Christi est vere in celo, quo ascendit. Ergo impossibile est quod sit in altari. Probatio prima : quia nihil habet esse extra terminos suos; sed termini cuiuslibet corporis locati, sunt simul cum terminis corporis locantis; ergo nullum corpus locatum in uno loco, potest

(2) Cfr. argum. in oppositum, initio questionis.